



1. Abichtus s. Joh. Georgij diff. de Claudio
 Felice ad Act. xx 10. u. 29. 25. Wittenb.
 2. — diff. de summa Ecclesiæ vero
 dignitate. Wittenb. 1732.
 3. — diff. Prioris vindicatione sapientia
 divine circa Capsum Adami,
 Wittenb. 1739.
 4. — diff. de Lege Sabathi. Wittenb. 1721.
 5. — diff. de fide Apostolorum tempore
 Christi in his terris degeneris, Wittenb.
 6. — diff. de animabus Humanis
 post mortem Corporis vivis, Wittenb.
 7. — diff. de Immanuile ex Virgine
 nascituro, Lipsie 1717.
 8. Epini s. Franc. Albs diff. apologia
 pro genuina Lutheri versione
 Germanica dicti paulini Rom x
 in 17. Rostochi 1732.

a. 18
26

DISSERTATIO THEOLOGICA
DE
**ASSUMPTIONE
SEMINIS ABRAHÆ,**

Ad Locum Ebr. II, vers. 16.

TEXTVS GERM.

Denn er nimt nirgend die Engel an sich/
sondern den Saamen Abrahæ nimt er an sich.

QVAM
DEO IVVANTE,
SVB PRÆSIDEO
DN. JOH. GVILIELMI BAIERI,
S. THEOL. D. ET P. P.
DN. PATRONI, PRAECEPTORIS ATQVE STU-
DIORVM SVORVM PROMOTORIS PIA VENERA-
TIONE ATQVE OBSERVANTIA
OBSEQVIOSCE COLENDI
PVBLCAE DISQVISITIONI SVBIICIT
NICOLAVS Hæse/
PERLEBERGA-MARCH.
A. D. XXVIII. DECEMBER. A. C. CLO IO CXCIII.
EDITIO II.

JENAE,
LITERIS IO. BERNH. HELLERI, 1723.

Dicitur DISSEMINATIO THEOLOGICA

ASSUMPTION SEMINIS ABRAHÆ

Digitized by srujanika@gmail.com

TEXAS-GERM.

ψήφιον θεραπεύει την πάθηση
ψήφιον θεραπεύει την πάθηση

MAYO

ЭТУАНИСА

GIORGIO RYAN

DN. JOH. GAIETI M. BAEERI.

THEOL. DATA. 14

DOC SATRONII MAGECPTORIS ATOLAE STA

— я и не знал, что это за птица, — сказала она.

COLLECTOR'S EDITION OF THE
LITERATURE OF THE AMERICAN REVOLUTION

12 VAS

Moxo el cielo a su modo.

卷之三

Digitized by srujanika@gmail.com

1210 REINHOLD FELLER, 1911



D E

ASSUMPTIONE SEMINIS

ABRAHÆ,

Ad Locum Ebr. II, v. 16.

DISSERTATIO.



Eccl. Sacrum illud & salutare lætitiaeque plenum tempus, quo cœtus Christo addictus Domini sui & Salvatoris *Adventum in Carnem* celebrat, inde fidei confirmandæ, vitæ ad sanctitatem compонendæ, denique solatii, quo contrita atque afflicta corda erigantur ac recreentur argumenta petit. Scilicet hinc apparet summa illa *χειρότης καὶ Φιλαρδεσπία*, Benignitas atque Amor hominum, Tit. III. 4. quod Deus mundo dedit filium suum unigenitum. Joh. III. 16. ut recte colligas omnia cum illo nobis esse daturum. Rom. VIII. 32. Hinc nostra cum Filio DEI unigenito fraternitas orta est: quero nec pudet, fratres nos appellare, Ebr. II. II. quique nobis dat ēξοντα illam, licentiam ac dignitatem, qua Filii DEI siamus, quot-

4 DISSERT. AD LOCVM EBR. II. 16.

quot in Nomen ejus credimus. Job. I. 12. Quod si vero filii, etiam heredes sumus, heredes quidem Dei, coheredes autem Christi. Rom. VIII. 17. Atque hæc $\pi\lambda\eta\varphi\omega\zeta\varsigma$ fidei nostræ gignunt, alunt, roborant. Hæc amorem Dei Christi quale mutuum in nobis excitant aut accendunt, ut diligamus eum, qui prior nos adeo dilexit : 1. Joh. IV. 10. ut, quemadmodum ipse Sanctus est, ita & nos sancti simus 1. Pet. I. 15. 16. ut, cum Filius nobis sit datus, tanquam hostia pro peccatis nostris, offerenda DEO ; sic nos prebeamus corpora nostra hostiam viventem, sanctam, acceptam Deo, rationalem (aut verbo Dei congruum) cultum nostrum, Rom. XII. 1. Hæc denique non minus nobis, timore magno timentibus, quam Pastoribus Bethlehemiticis, metum expellunt, & gaudium magnum ingenerant animis, quando & nobis natum esse Salvatorem, qui est Christus Dominus, cognoscimus, Luc. II. 9. 10. 11. Hæc faciunt, ut spirituali oculo videntes Christum Domini, & in ulnas cordium accipientes eum, adeo non timeamus mortem, ut cum Simeone justo pioque, intra Dei laudes, dicamus : Nunc dimittis, Domine, seruum tuum in pace, ibid. à v. 25. ad 29. Quæ cum in Templo populo prædicentur, nec tantum publicis, sed domesticis ac privatis singulorum meditatiōnibus, orationibus, hymnis, celebrentur ; fas etiam atque æquum est, ut in Academis non minus tractentur, quæ & seminaria Ecclesia sunt, & præseruit ad servandam Orthodoxam doctrinam, ad profectum fidei $\pi\alpha\tau\alpha\zeta\varsigma$ faciendum, excludendos contra adversariorum variæ generis errores & manifestandas imposturas destinate sunt, & in ejusmodi negotiis quotidie occupantur. Visum itaque est, hac dissertatione in Mysterium illud

έμολο-

DE ASSUMPTIONE SEMINIS ABRAHÆ.

ἐμολογουμένως μέγα, ad lucem Evangelii in Scripturis acceptam, velut πρεσβύτης, juxta illud Petri 1. Ep. I. 12. aut studiosius, cumque humilitate debita, introspicere: Idque occasione loci Ebr. II. 16. quo Filius DEI semen Abraham assumisse dicitur. Ipse autem Deus Pacis efficiat, ut, quod agimus, acceptum sit in conspectu suo per JESUM Christum, cui gloria in secula seculorum, Amen! Ita precamur ex Ebr. XIII. 21.

§. I.

PAUCA verba sunt, quæ I. c. de Jesu, Filio Dei, enunciavit Apostolus: σπέρμα τοῦ Αράβα τηλαυγάστη, quæ vulgo redditur; Semen Abraham assumit: sed si contextum & materiam, quam vocant, substratam spectemus, plurimum momenti habent: Si adversariorum κρίσεις & studia, ad subducendum verum sensum & suos errores palliando, adhibita; non parum opera postulant vindiciae τῶν ὑγιανότων λόγων.

§. II. Præcipue attendendum est (1.) ad Assumptionem, sive ad Subjectum, de quo dicitur, quod assumptum Semen Abraham. (2.) in prædicato, partim ad objectum aut rem, quæ assumi; aut quām aliquis assumere dicitur, nempe ad Semen Abraham. (3.) ad actum ipsum assumptionis, ejusque rationem formalem & conjectaria. De singulis suo ordine agemus.

§. III. Is, de quo dicitur, quod assumserit semen Abraham, JESUS est, v. 9. nominatus ille Dei Filius, circuigatus τῆς δύναμος τῆς χαριτὸς τῆς ὁμοδόσεως αὐτοῦ, effulgens gloria & character substantia ejus, quem Pater heredem omnium constituit, per quem etiam secula condidit: ille, qui

V. 1.

Assumptio seminis Abraham modus

6 DISSERT. AD LOCVMIEBR. II. 16. 21

moderatur omnia verba potentia sua, qui purgatione peccatorum per semet ipsum facta confedit in dextra Majestatis in excelsis, Cap. I. 3. Præstantior Angelis & ab illis adorandus. v. 4. 6. Cujus thronus eternus est, v. 8. Qui initio terram fundavit, & cuius manuum opera colli sunt v. 10. Sub cuius pedibus omnia subjecta sunt. Cap. II. v. 8. Princeps, æxerxos, salutis nostræ. v. 10. Is, qui sanctificat omnes, qui sanctificantur. v. 11. Quibus Epithetis & prædicatis insignis illa & vere divina εξα persona illius clarissime indicatur. Unde, & præsertim ex collatione dictorum V. T. quæ hic citantur, & observatis partim Operationibus DEO propriis, qualis Creatio & Conservatio hujus Universi, partim Comparatione cum Angelis atque adeo exemptione ex coetu creaturarum, Nostrates Christum esse natura atque eternum Deum firmiter probant. Nobis autem illis nunc immorari non licet.

§. IV. Id, quod Filius DEI assumisse dicitur, σπέρμα Αλεξανδρου, Semen Abrabe appellatur. Et Abrabæ quidem nomine nihil hic difficultatis habet. Personam enim illam Patriarche denotare certum est, cuius post Mosen Libro I. Sacrae Historiae & Scriptores alios Georgius, etiam hæc Epistola crebriorem fecit mentionem: Cap. VII. 1. 2. 4. (Ubi & nomen ωταραίδεχνος legitur) v. 5. 6. 9. 10. Cap. 8. 9. 10. 12. 17. 18. 19. Illud solum notamus, quod Rom. IV. 11. dicitur: Pater omnium credentium per præputium, & v. 12. Pater circumcisiois iis, qui non solm genus ducunt à Circumcisio, verum etiam ingratiuntur vestigis fidei, que fuit in præputio Patri's nostri Abrabe. Dicitur etiam οὐληγρόποτε πόσιμος, heres mundi. v. 13. & Pater multarum gentium v. 17. 18. Sed circa vocabulum Seipnis paulo major difficultas occurrere videtur,

§. V.

§. V. Nimirum Vox *Semen*, Græce ονείρα Hebraice וְאֶתְמָה est. Generaliter notat id, quo mediante, (tanquam instrumento aut Organo, ut quidam loquuntur, quod aliis displicet) res viva atque animata rem aliam sibi similem producit aut gignit. Qua ratione etiam res sativæ ex vegetabili genere, v. g. frumentum, herba, arbores, semen suum habent: vid. Gen. I. 12. i. Cor. XV. 38. uti animalia bruta: Jerem. XXXI. 27. & homines ibid. & Dan. II. 43. Levit. XV. 16. 17. 32. & locis aliis. Verum hinc quidem facile constat, de semine humano sermonem esse.

§. VI. Porro autem notandum est, nomen seminis humani denotare aliquando particulam illam humoris spirituosi, quam sulphuraqueum quidam dicunt, quæque vel consideratur, prout in corpore adhuc later, antequam in novi germinis usum & γένεσιν cedit, vel prout huic actui est impensa: Alias autem significare foetum ipsum, aut sobolem, dependenter à semine productam atque genitam. Et quando posteriore sensu accipitur, ubi ex natura & substantia coalescit suppositum aut personam, atque hæc in Casu recto denotatur; sit tamen, ut nomen ipsum seminis nunc suppositum aut personam unam, sive unum hominis individuum; nunc autem, velut collectivo sensu, multa simul supposita aut individua, seu numerosam alicujus posteritatem, notet. Certe pro uno supposito accipitur, Gen. IV. 25. quando Eva dixit: *Ponit mihi Deus semen aliud pro Abele*, i. e. filium alium post imperfectum Abelem suscepit. Similiter Gen. XV. 3. XXXI. 13. 2 Sam. VII. 12. & in primis Gal. III. 16. ubi Paulus scribit: *Abrabe dictæ sunt promissiones & semini ejus.*

Non

Non dicit, & seminibus, ($\tauοις σπέρμασι$) tanquam de multis, sed tanquam de uno. Et semini tuo ($ως εφ' ενος$, $ηση της σπέρματος$) qui est Christus: Una, inquam, persona, non multæ, unum suppositum non plura. Posteriore seu collectivo sensu pro multitudine genitorum aut gignendorum adhibetur: Gen. XV. 5, ubi Deus, Abraham innumerabilem siderum multitudinem ostendens, addit: *Sic erit Semen tuum*; Copiam utique posteriorum Abraham sic indicans: quodque futurus esset ipse in *mille myriades*, uti alia phrasis habet Gen. XXIV. 16. Denique quemadmodum alias nomina Concreta pro Abstractis accipiuntur, v. g. Prophetæ pro prophetia: Dan. IX. 24. Esa. XXVIII. 7. 15. Rex pro regno 2. Sam. XIX. 45. sic & seminis nomine, forma aut natura humana denotatur.

§. VII. Atque hic profecto differunt sententiae Interpretum, non tantum in diversis sectis, verum etiam diversorum unius sectæ aut cœtus Doctorum. De quo priusquam dicamus, etiam de Vocabulo Ἐπιλαμβάνειν ejusque πολυσημίᾳ quædam notanda sunt. Cum vero simplex λαμβάνειν & Media Voce λαμβάνεσθαι vulgo notum sit, actum sumendi, capiendi, accipiendi, significans; quid Præpositio διὰ addat Verbo, aut verbum compositum cum præpositione significet, queritur. Constatavimus Usu & exemplis probatorum Autorum Ἐπιλαμβάνειν propriè idem esse, atque *insuper accipio, assumo, post aliud sumo*: prout v. g. Romanus mos erat, eos, qui adoptantur *womina adoptantium assumere*: τὸς θετὲς τὸν θερέναν ὄγκουατα Ἐπιλαμβάνειν: Appiano docente; Et de cibis, qui in mensa post alios capiendi sint, similiter loquitur Dioscorides. Ἐπιλαμβάνεσθαι autem non tantum *assumere* & *adsciscere*,

DE ASSUMPTIONE SEMINIS ABRAHÆ. 5

seiscere, velut in societatem suam, uti Barnabas Paulum
Act. IX. 27. cum assumptum hunc ad Apostolos deduceret ;
sed & prebendere, apprehendere, comprehendere, captare,
capessere, significat. Unde porro per translationem quan-
dam idem est, ac retinere prehensum, suscipere, vindica-
re, deprehendere, reprobare, coercere & reprimere :
Quæ apud Lexicographos partim, partim Er. Schmidium
Not. ad I. Tim. VI. 24. p. 1266. habentur.

§. VIII. Notum est, quod vulgo dicitur : *Talia es- se prædicta, qualia permittuntur à suis Subjectis ; & vice versa : Talia esse subjecta, qualia permittuntur à suis prædicatis.* Itaque danda opera, ut à clarioribus ad minus clara progrediamur. Cum autem in sententia Apostolica de *Filio DEI*, tanquam subjecto, dicatur, quod *assumserit semen Abrahæ* ; equidem inter eos, qui Christiani dicuntur, constat, Mediatorem generis humani divini-
tus missum denotari. Sed opera præmium est, ex priori-
bus §. III. breviter dictis observare, quod intelligatur per-
sona divina, sive suppositum, habens naturam diuinam,
& ab hac denominatum. Quod quamvis Sociniani ne-
gent, illa tamen evincunt, quæ adduximus. At neque
sic res confecta videretur ; sed adhuc dubia esse, tum quo-
ad id, quod is assumisse dicitur, tum quoad actum assu-
mendi. Quod si porro ex vi relationis propositionem
aliam virtualiter in Textu contentam exprimas, hoc mo-
do : *Semen Abrahæ assumitur, nempe à Filio Dei : jam rursus queritur ; an ad prædicti cognitionem ex natu- ra aut ratione subjecti ? an ad subjecti cognitionem ex prædicati conditione, rectius sit progrediendum ?*

§. IX. Juxta Nostratium sententiam sensus hicerit:

Is, qui Filius DEI est, proprio loquendo, (neque enim ad Tropum confugiendi necessitas appareret,) prater eam naturam, quam, tanquam Character Substantie Patris, habuit, priusquam colum & terram produceret, & sic ab eterno; Assumisit, aut in consortium ejus naturae divine adserit naturam humanam, qualem Abrabe posteri habent, & quidem ex posteritate Abrabe, quantum ad substantiam attinet, petitam, ita, ut jam non tantum Deus (uti Filius DEI) verum etiam simul verus homo sit.

§. X. Huc profecto spectarunt mores nostri, cum in Augustana Confessione Art. III. profiterentur, se credere, quod verbum, hoc est, Filius Dei assumserit humanam naturam in utero B. Marie Virginis, ut sint duæ naturæ, diuinæ & humanae, in Unitate personæ inseparabiliter coniunctæ. Nam & L. Hutterus hoc loco uitetur ad probandum, quod veram naturam humanam nostræ oportet esse assumserit Filius Dei. Comp. Loc. III. Qu. 6. & post Lutherum, Osiander, Balduinus, Vinarienses, Gerhardus, Horneius in Expositione Epistolæ ad Hebr. hanc interpretationem servant. Breviter Vinarienses, sed perspicue: Den Saamen Abrahams (wahre menschliche Natur aus den Saamen und Nachkommen Abrahams) nimmt er an sich.

*§. XI. Nimirum postquam Apostolus v. 14. dixerat, Filium DEI esse participem factum Carnis & Sangvinis, hoc v. 16. credunt distinctius id indicari, partim in oppositione ad aliud genus creaturarum; partim inter homines, ex qua genere carnem acceperit, videlicet ex posteritate Abrabæ. Conjungunt itaque Phrases (1) *nostræ* & *agnos* regi *ad ipsas* (intransitive & correlative accepta vo-*

DE ASSUMPTIONE SEMINIS ABRAHÆ.

ce, uti loquuntur) in consortium quasi & societatem accipere carnem & sanguinem, sicut pueri carni & sanguini communicant: juxta v. 14. & (2.) μετέχειν σαρκὸς καὶ αἵματος participem fieri carnis & sanguinis, videlicet substantia alter, sicut pueri, ad quorum substantiam pertinet caro & sanguis, & (3.) hanc, quam ex instituto scrutamur, θηλαράντεια σπέρματος ἀλεγάμε, firmissime apprehendere semen Abrabe, retinere, non dimittere, non deponere. Videatur B. Gerhardus Exeg. Loc. IV. §. 128. p. m. 1264.

§. XII. Sane & Veteres Ecclesiaz Doctores assumptionem humanae nature, Corporis aut Carnis, quoad conjunctionem aut unionem cum divina natura, agnoverunt & tradiderunt. Origenes, Dial. advers. Marcion. Sect. IV. aliquoties phrasibus λαμβάνεις & αὐθαλμάνεις τῆς σαρκὸς utitur. Athanasius τεχνόληψιν τῆς εἰνθερπότητος εἰς τὴν Θεοτήτα & λόγια appellat. Epiphanius in Ancorato Cap. LXV. p. 81. Cum Deitate suscepit humanam naturam σὺν τῇ Θεοτήτῃ λαβάν την ἀνθρωπότητα. Theodoretus Dial. II. Cap. XII. p. 56. b. λῆψιν τῆς σαρκὸς vocat: Et paulo ante p. m. 55. b. de Filio Dei: Σάρκα τεχνόληψίν εστιν οὐδέποτε, carnem assumendo incarnatus est, dicit. Hinc statim interrogat Eranisten: Utrum assumptio (τεχνόληψις) unioni coharet? eoque concessio, concludit: Incarnatus est igitur filius DEI humanam naturam assumens: ενθερπότητε τὴν αὐθαλμάντην λαβών. p. 56. a. Ex Latinis Hilarius L. III. de Trinit. p. m. 28. non de suo desiterat, sed quod nostrum est, accepit. Conferatur Commiss. in Matth. Cap. XVI. & qua de assumptione corporis nostri aut naturae nostra commemoratur. Fulgentius, & cum eo Episcopi reliqui in Africa, Libro de Incarnatione & Gratia I. C. Cap. V. Accessus Deo,

DISSERT. AD LOCVM EBR. II. 16.

scribit, *humana substantia, non persona.* Et Ferrandus Diaconus Epist. ad Severum Scholasticum Optanum: *Non utique personam aliquam suscepit, quia non hominem paratum invenit, sed naturam potius humanam, in qua ipse Deus homo nascetur, accepit.* Confer Maxentii Dial. contra Nestorianos L. I. Cap. XII. p. 16. b. 17. a.

§. XIII. Admonet nos Ferrandi illa & præcedentia Fulgentii verba, ut ad phrasin eam attendamus, qua dicitur *Filius DEI assumisse hominem.* Occurrit enim ea apud Origenem l. c. aliquoties. Legitur etiam apud alios, quorum nomina & loca, indicat Brochmandus T. I. System. Art. XV. Cap. VI. Sect. II. quæst. II. p. m. 298. Quando autem vox *homo* significat per modum suppositi aut persona; nec tamen personam à se aliam, sed tantum aliam naturam, in divinæ naturæ consortium assumit Filius Dei, ita, ut esset unus Christus, Deus & homo; ideo laudati Doctores melius esse judicarunt, assumtam à Deo naturam humanam, quam assumptum hominem dicere. Et Justinianus Imperator in Confessione fidei, approbante quinto concilio Oecumenico, & aliis Patribus orthodoxis, scribit: *τὸν λόγον ἀπέσταλτον ἀνθρώπον γεγενηθεῖς, ὅμοιούγμαν, καὶ ἐν εἰς ἀνθρώπον των αὐτὸν ἐλλυθέντων.* i. e. *Deum verbum sine conversione hominem factum esse confitemur,* & non in hominem quandam venisse. Nostrates autem illam, de qua quærebatur, locutionem *impropriam* esse dicunt, ac pie exponendam, non autem temere imitandam, vel latius extendendam: *Sensum enim Phraseos esse, Filium DEI assumisse humanam Naturam, ut per illam esset homo.* Ita Gerhardus Dispp. Isag. IX. L. VI. Cap. VI. §. 28. seu ult. p. m. 358. Et Brochmandus l. c. ubi etiam J. Brentium hac phrasí

DE ASSVMTIONE SEMINIS ABRAHÆ. 13

phrasí usum, excusat, quippe qui tantum indicare voluerit, quod Filius Dei naturam humanam singularem ac individuali assūmserit: Ideoque à Bellarmino T. I. L. III. de Christo Cap. I. p. 381. Nestorianismi præter causam accusetur.

§. XIV. Sociniani per Semen Abrabæ, quod Filius Dei assūmisſe dicitur, intelligunt collective cœtum fideliū, i. e. juxta ipsorum mentem, Christi præceptis obedientium & promissis innitentium. Verbum *assumere* autem illis idem est, quod *opiculari*, *auxiliari*. Neclonge quārenda ratio est. Cum enim negent, Christum existisse ante Mariam, tantoque magis negent, ab æterno fuisse Deum; inde etiam negant, illum, velut ante, aut ab æterno, in natura certa ac divina existentem, adscivisse in tempore aut assūmisſe naturam aliam, nempe humanam, tanquam sibi propriam, & intra virtus suam recipiendam & receptam. Itaque uti mysterium ipsum non est ad palatum ipsorum, sic loca Scripturæ, quibus illud continetur & probatur, in aliud sensum non tam flectunt, quam trahunt. In ipso Catechismo suo, Racovie A. 1609. edito, Cap. I. p. 96. audacter scribunt; *In eo loco* (Ebr. II. v. 16.) *ne similitudinem quidem incarnationis apparere*, *verum id sibi nolle scriptorem*, *Christum non esse Salvatorem Angelorum*, *sed hominum credentium*, *qui quoniam & afflictionibus & morti subjecti sunt* (*quam rem supra expresserit per participationem carnis & sanguinis*) *propteræ Christus ultro se illis submisserit*, *ut fideles suos à mortis metu liberaret*, *& in omni afflictione iis operem offerret*. Qribus respondent, quæ apud Oſorodum in Institut. Cap. XVIII. Enjedinum in Explie. loc. V. & N. T. Schlichtingum

in Commerit, & Brenium in annotar. ad h. l. denique Vol. kelium Lib. V. de vera Relig. Cap. XI. leguntur.

§. XV. Rationes in ipso Catechismo haec afferuntur: I. quia Scriptor Epistola non dicat Christum assumisse, sed assumere; II. nec dicat, naturam humanam, sed Semen Abrabae: quod in sacris literis notet eos, qui in Christum crediderunt: Gal. III. v. 29. videri queat. Smalcius (miles ille gloriosus, uti B. Hackspanio dicebatur) in Refut. Theismum B. Graueri de Incarnatione p. II. Locum illum ad eventendum dogma incarnationis apicissimum esse, & Sententiam, quam Grauerus illustrari dixerat prorsus tollere & annibilare, perhibet. Nam in verbis v. 16. ait: Nulla mentio est ejus, quod aliquis ante Christum natum Semen Abrabae assumserit, sed de homine IESU id dicitur. Deinde addit, nulla etiam humanae nature mentio est. Semen enim Abrabae non sunt homines, qua homines, sed qua fideles. Et denique de re, que tunc, cum Autor ista scriberet, perficiebatur, & nunc perficitur, sermo est. Unde constat ad incarnationem nullo modo quadrare; Sermonem autem esse, v. 14. de eo, quod Christus afflictionibus & morti obnoxius esse voluerit sponte sua, quia pueri ipsis, hoc est, fideles, sint iisdem rebus, ex Dei voluntate obnoxii, idque declarari v. 16. quia scilicet non Angelorum sit servator, sed Semini Abrabami. Hoc enim esse, recipere Semen Abrabami, ipse contextus uberrime docet, & nos nuper etiam factum in Refutatione libelli Martini Smigeli Jesuite, cui titulum dedit: Verbum caro factum. Et habetur sane ibi Cap. XXII. p. 126. seqq. ad 130. discursus prolixior, sed cuius summam alterius loci verba memorata satis clare exponunt.

§. XVI. Ut in hac sententiarum non diversitate tantum,

DE ASSVMTione SEMINIS ABRAHÆ. 15

tantum, sed adversitate, quod verum ac revelationi di-
vinæ congruum est, teneatur; euidem, cui parti onus
probandi magis incumbat, prius considerandum videtur.
Ubi Sociniani partim suo more in destruendis sententiis
ab Ecclesia receptis occupari potius conservaverunt, quam
in probandis suis: atque ita etiam in hoc negotio Smal-
cius Ref. Thes. Graueri p. 12. scripsit: *Quia nos argumen-
tis adversariorum, qua ex hoc loco nesciunt; dissolutis sen-
tentiam nostram nullo jure adacti, ut sit in Catecheticis di-
sciplinis, etiam addimus, non valde urgenda est probatio e-
jus, quod affirmamus: partim vero vel ideo nobis onus
probandi potius incumbere perhibent, quia doctrina de
incarnatione aliena sit à principiis rationis: quam etiam
Smalcius contra Smiglicum l. c. Cap. XXII. p. 127. monstro-
sam incarnationem, & pag. 130. monstrorum de Incarnatio-
ne dogma appellat.* Nostri autem pro sua causa præsum-
tionem habent, tot dictis Scripturæ concurrentibus ni-
tentis, quorum vel nuda recensio hominem ab obedien-
tia fidei non alienum in mysterii Incarnationis assensum
induxerit; ut dogma ejusmodi negaturo magis, quam
cum Scriptura affirmantibus, probandi munus compete-
re videatur.

§. XVII. At nihilominus Nostrates non subterfu-
giunt hanc operam probandi dogma fidei quod credunt
& profitentur. Quo (1.) pertinet parallelismus Phrasium,
μετέχειν σαρκὸς καὶ ἄματος, & νοιωθεῖν σαρκὸς καὶ ἄματος,
cum hac, *Πηλαμείανδες οὐ σπέρνατο Αλεξανδρού:* cuiusjam
suprameminiimus. Licet enim nomen proprium *Αλεξανδρού*
ad certam familiam restringat, quod in prioribus phrasi-
bus minus determinate significabatur: etenus tamen

con-



conveniunt, quod substantiae aut naturae humanae participatio hic pariter atque illic denotatur. Confirmatur autem (z.) per contextum Cum enim v. 14. & 15. indicatus esset scopus aut finis actionis illius, qua filius Dei particeps factus est carnis & sanguinis similiter, uti pueri, nempe in eo consistens, ut per mortem aboleretur, qui mortis habebat imperium, hoc est, diabolum, & liberos redderet homines servituti obnoxios metu mortis per omnem vitam; jam fundamentum indicat liberationis ad hos humanum genus, præcise pertinentis, verbis versus 16. εγένετο διπλάσιος οὐρανού καὶ γῆς σπέρματος Απολαύσεντος. Non enim videlicet Angelos assumit, sed semen Abrabe affimit. Sensus nimurum est: Officium Redemptoris ad homines, morti & tyrannidi Satanæ propter peccatum obnoxios pertinere, quia horum, non Angelorum, naturam, carne & sanguine constantem, suam fecit: prout etiam veteres dicebant; Quod non assumit Filius Dei, non liberavit.

§. XVIII. Evidenter Sociniani, quemadmodum plura, quæ antecedunt, ad suas hypotheses torquent, sic etiam nomina σάρκως καὶ αἵματος v. 14. non de partibus substantialibus naturae humanæ, sed de infirmitatibus & afflictionibus exponunt: uti Smalcius l. c. Verum hoc est, deserta litera, præter necessitatem, ideoque contra Leges bona interpretationis Scripturæ, imo Textu ipso invito, ad Tropum configere. Nam quamvis Vocabula, *Caro* & *Sangvis*, aliquando denotent naturam humanam connotata infirmitate; quod & hoc loco concedi posset: Sociniani tamen non admittunt, naturam in casu recto, quæ infirma est, sed infirmitatem ipsam in Casu recto denotari;

DE ASSUMPTIONE SEMINIS ABRAHÆ. 17

notari; imo ipsas afflictiones: quod minime omnium probare possunt. In Textu autem distingvuntur ista, tanquam Antecedens & Consequens; Carnis & Sanguinis fieri participem, & subire passiones aut mortem, hominum redimendorum causa, quæ adversarii pessime confundunt.

§. XIX. Adversus interpretationem verborum v. 16. excipiunt Sociniani: Si de incarnatione sermo esset, dicendum fuisse in præterito, *assumit*: atqui non legi, *assumit*, sed in præsenti *assumit*; quod de incarnatione pridem facta exponi non possit. Non considerat scribit Smalcius, adversus Smigl. p. 116. verba Autoris illius dñe loqui, que tunc, cum ille scriberet, adhuc perficiebatur, & que adhuc perfici dici potest. Utitur enim voce non temporis præteriti, qualis scilicet requirebatur, si incarnationem istam monstrosum describere voluisset, sed presentis. Cum autem Grauerus dixisset: Quod legitur *assumit*, & non *assumit*, parum refert. Quis enim temporis Enallagen in Scripturis usitatisimam esse ignorat? Smalcius, valde inepte & crasse istud dici, regerit. Addit autem: Evidem non nego, Enallagen temporum sape occurrente; sed primum dico, talem Enallagen raro occurtere. Præsens quidem vel præteritum profuturo accipitur: & præteritum etiam pro præsenti accipi interdum videtur. At præsens pro præterito nempe perfecto accipi, pro valde raro censemus est. Deinde dico, talem Enallagen, que scilicet raro occurrat, non esse adhibendam, nisi tunc, cum aliter sensus verborum constare non potest. Quod hic secus fieri ad oculum apparet. Quod enim eo verius, quid consolatione plenius, quam Christum non Angelos, sed homines recipere, & salutem eorum procurare.

§. XX. Sed responderetur Smalcio, (1) Enallagen præsentis pro præterito, etiam perfecto, adeo raram non

C

esse,

esse, uti perhibetur. Creberriam potius esse in historicis narrationibus, post Flacium docuit B. Glassius, Gramm. S. Tract. III. Can. XLVIII. p. 380. seqq. (m. p. 651.) ubi adducuntur locis Matth. II. 13. Marc. II. 4. Cap. III. 19. 20. 31. C. XVI. 2. opus non esse judicat, accersere plura, præfertim cum & in profanis historicis frequentissima sit hac Enallage. Imo nec longe à textu nostro discedendum est, ut exemplum afferamus. Nam Ehr. Cap. I. 7. legitur: ὁ πονῶν (non πονοῦσ) qui facit (non, qui fecit) angelos suos spiritus &c. & tamen in prima creatione tales fecit, non nunc demum facit. Ita nimirus Socinianis hominibus rarum est, quod non ad palatum eorum est. Sed sic etiam cadit argumentum alterum, quod in facta illa raritate Enallages fundatur. Nam ex adverso utique in praesenti loco, propter nexus versus 16. cum verbis v. 14. τὰ παρόδει οὐ πονῶντες σαρκὸς οὐδὲ ἀμαρτῶν, propriè accepimus, uti oportet; simul & cum illis αὐτὸς μείζων τῶν αὐτῶν, satis causa adest, cur verbum Πηλαμάβαται in significacione præteriti a que accipiatur. ideoque talis Enallage, que scilicet nec alias raro occurrit, sit adhibenda, cum aliter sensus verborum genuinus videlicet, non temere factus, confabare non posse. A que hoc omnino, non, quod vult Smalcius, ad oculum appareat. Quod autem ad iactatum consolationis argumentum attinet, post paulo expendemus.

S. XXI. Interea, si quis cum Schlichtingio lib. contra Meisnerum de Trinitate, querat: Num vero abduc naturam humanam assumit Filius? quamvis ex dictis parat responso; non tamen negligendum putamus, quod Nostrates quidam monuerunt: Esti incarnatio, quando spectatur, ut actio uniendi primum naturam humanam

DE ASSUMPTIONE SEMINIS ABRAHÆ. 19

cum divina, unionem tamen prout statum importat, adhuc durare: & esse perpetuam: Et quemadmodum conservatio hujus universi ab auctoribus dicitur continua creatio: Ita & Filium Dei recte dici adhuc θηλαψέντες naturam humianam, quatenus, quam semel assumit, semper, velut prehensam, retinet, nunquam deponit.

¶. XXII. Obiter etiam, & velut *καὶ ἀνθρώποι*, monemus; quod ex Socinianis Schlichtingius ipse doceat, in priore membro versus 16. ubi dicitur: *εἰ δῆπε τὸν αὐγέλων θηλαψάντας*, non enim sane alicubi Angelos apprehendit; *τὸν apprehendit idem esse*, atque apprehendere dicitur *vel affirmatur*; addita ratione; *non raro enim rem ipsam pro rei declaratione sibi affirmatione ponimus*. fol. 98. b. Quo admissio, jam non est, cur in posteriore parte versiculi terminatio temporis praesentis in voce *θηλαψάντας* nobis opponatur. Si maxime enim jam non assumat humanam naturam Filius Dei; jam tamen adhuc dicitur aut affirmatur in Scripturis, quod semel assumserit. Itaque quoquo se vertant adversarii, propria vineta cädere necessum habent.

¶. XXIII. Nunc autem ad alteram in ipso Catechismo Socinianorum adductam objectionem: Quod non dicat Apostolus naturam humanam, sed semen Abrabe; paucis respondebitimus: Ineptum sane est, ista opponi, quæ revera eadem sunt. Certe quemadmodum *Semen mulieris* & *Semen Davidis*, ita quoque *Semen Abrabe*, non solum non contra vim vocis, sed commode atque usitate profus, significat naturam humanam, cum relatione ad subjectum illud, à quo originem ducit. *De semine mulieris* nec ipsi Sociniani negaverint, nomen naturæ esse;

C 2

qui,

qui, licet non concedant, Messiam ab humana natura denotatum Gen. III. 15, indicari; progeniem tamen Evæ, homines, secundum naturam humanam à Muliere, descendam significari contendunt. *Semen Davidis*, 2. Sam. VII. 12. & 1. Paral. XVII. 13. sive volentibus, sive invitis Socinianis, revera idem est ac *fructus ventris Davidis*. Ps CXXXII. 11. aut *germen Davidis*, Jerem. XXIII. 5. & XXXIII. 15. Sed & *Abrabæ semen*, cum de Ismaele accipitur, Gen. XXI. 13, nonne filium denotat, secundum carnem ex eo natum, uti Gal. IV. 23, atque adeo secundum naturam humanam, cum respectu ad Patrem, considerandum? Quid ergo est, quod Sociniani significationem illam, qua naturam humanam denotat, h. l. tantopere fastidiunt, nisi, quod hominibus impiis monstrosa videtur incarnatio? Nam, quod is dicit, *Semen Abrabæ in sacris literis notare eos, qui in Christum crediderunt*, tam audacter quidem dicitur, ac si per inductionem exemplorum de universalis atque unica significatione constaret: Imo in margine p. 12. Refutatio-
nis Thes. D. Graueri, scribit: *Semen Abrabæ sunt fideles tantum*. Sed jam quidem contrarium vidi-
mus. Locus Gal. III. 29. non probat, nisi aliquando, locum habere eum sensum; nempe pro ratione materiae substrata, & promissionum, quas fidelibus proprias esse, jam aliunde exploratum est. Ecce autem Smalcius non æque adduxit locum Job. VIII. 73. ubi Judæi dicunt: *Semen Abrabæ sumus*; Christus autem v. 3. respondet: *Scio, quod Semen Abrabæ es sis, sed queritis me interficere*. Aut locum Act. VII. 5. 6. de semine Abrabæ, cui terra possidenda promittebatur, quodque *inquilinum in terra aliena & servituti subjectum futurum erat*: aut locum Rom. IX. 5. ubi dicitur:

DE ASSUMPTIONE SEMINIS ABRAHÆ.

citur: *Non quia sunt semen Abrabæ, omnes Filii.* Aut cap. XI. v. 1. *Nam & ego,* ait Paulus, *Israëlite sum, ex semine Abrabæ, tribus Benjamin:* aut 2. Cor. XI. 22. *Ebrei sunt, & ego:* *Semen Abrabæ sunt, & ego.* Quibus omnibus locis *Semen Abrabæ* naturæ nomen est, non fidei, aut credenti- bus proprium. Imo Rom. IX. 5. distingvuntur *Filii, gratiæ hæredes, & Semen Abrabæ,* licet non adæquate, reve- ra tamen & expresse: quod ad infringendam Objectio- nem Smalcii sufficit.

§. XXIV. Schlichtingius Comment. ad h. l. fol. 98. negare non audet, quod nomen *Seminis Abrabæ* naturam humanam ex Abrahamo deductam commode significet: Imo D. Autorem tanto libentius *Semen Abrabæ* nominasse, quod non solum verum id esset, quod de eo affirmat, & in Scripturis testatissimum; sed etiam Hebrais, ad quos scribit, quippe Abrabæ posteris auditu jucundissimum. Putat autem, se nihilominus invenisse, quo doctrinam de incarnatione excludere, & Socinianam glossam communem salvare possit. Ceterum, ait, bac ambigua appellatione, qua *semen Abrabami* tum *CARNALE* tum *SPirituale* significare potest, ita *Judaïs* gratificatus est, ut simul tacite indicaret, eos debere Christianos fieri, qui soli, cujusque gentis, spiritu- ale semen Abrabami sunt; Gal. III. 29. si à Christo ipso fa-cto juvari & servari velint. Iстis enim solis ipso opere juvan- dis servandisque Christus destinatus est, iстorum tantum mi- sericors fidelisque est Pontifex. Unde sic *spirituale Abraba- mi Semen intelligendum est* potius, quam carnale. Scilicet negare non potest Schlichtingius, verba illa, prout jacent, & ex communione loquendi consuetudine, denotare po- steritatem Abrabæ, quoad tractum naturæ ab illo; atque

ita à Judæis intellecta, ipsumque sensum eos fuisse *incundissimum*. Putat autem, se alii persuadere posse, quod Apostolus per *νεότην* quandam aut dolum bonum, non hoc, quod verba sponte & commode significant, sed aliud quiddam tacite indicaverit. Ecce inventum hominis, præstantius, quam quod pueri in faba! Nitidum qui vera Mysteria, tanquam monstrosa, rejiciunt, ut vel invita Scriptura removere possint, ipsi sibi mysteria singunt, & vel ipsos Scriptores sacros lusisse verbis quasi ex suo ingenio, judicant.

§. XXV. Smalcius denique phrasin integrum, *Semen Abrabe* assumere, sic intuetur, ut ad incarnationem denotandam minime quadrare putet. Diversi sunt prorsus loquendi modi, ait, *Christum ex Semine Abrabe* aliquid accepisse, & *Christum Semen Abrabe* accepisse, ut jam concedam, vocem Græcam ita converti posse. Ilo enim modo fortassis ortus ex aliquo significari possit; at hoc minime. Quis enim unquam audivit vel legit in sacris literis, accipere Semen alicujus esse nasci ex illo? Ubi duo præcipue occurserunt: (1) differentia inter terminos, *Semen Abrabe*, & aliquid ex Semine Abrabe. (2) differentia Phrasium, *nasci ex aliquo*, &c., accipere Semen alicujus: Quæ singulabreviserunt expendenda.

§. XXVI. Quod ad prius attinet, possumus quidem concedere, quod, quemadmodum (1.) totum & pars (2.) materia & effectus ejus differunt, ita *Semen Abrabe* & aliquid ex Semine ejus, distingvi possint: quo tamen non obstante, usus loquendi probat, (1.) non solum totam posteritatem alicujus (v. g. Abrabe) sed & singulos posteriorum, licet non sine tota illa multitudo, sed aliquid ex plu-

DE ASSUMPTIONE SEMINIS ABRAHÆ.

pluribus, Semen ejusdem appellari; & similiter, singulos posteriorum licet sint aliquid (soboles aliquae) ex semine alterius (Abrahæ) attamen etiam in caso recto semen ejusdem (Abrahæ) dici: prout Adam de conjuge ex se producta dixit: *Hec nunc caro de carne mea & os de ossibus meis*. Gen. II. 23. Sicut enim Eva sic fuit de carne Adami, ut tamen etiam esset caro ejus. (conf. Eph. V. 29, 30.) ita nec negandum est, tò esse ex Semine alterius & tò esse Semen ejusdem, recte coincidere. Quin imo Christus ipse sic dicitur. γενόμενος ἐν σπέρματι Δαυΐδος, natus ex semine Davidis, I. Rom. 13. ut tamen etiam dicatur Semen Davidis.

§. XXVII. Qua ratione ad posterius facile responderetur. Nempe non solum differentiam phrasium Smalcianus non probat: sed ex adverso clarum est, liberos hoc ipso, quod accipiunt semen parentum, nasci ex parentibus: & vice versa, dum accipiunt aut acceperunt particulam de substantia parentum in suam substantiam, fieri eorum natos: nisi forte etiam tò nasci pro ipsa exclusione ex utero & editione in lucem accipiatur, ut à tò generari distinguatur: quod tamen hoc loco ineptum erit, ubi tò nasci, & tò generari, pro iisdem accipi debent.

§. XXVIII. Ecce vero subtilitatem Smalcianam! Dum querit, quis unquam audierit vel legerit in sacris literis, accipere Semen aliusius, esse nasci ex illo? id omnino agit, ut postuleret, plura sibi monstrati loca, ubi eadem phrasis in eadem significatione adhibeat: quasi vero hoc necesse sit, neque occurrant in Scripturis μοναχὸς λεγόμενος: aut non sufficiat contextus & parallelismus ad certam certæ phraseos in loco certo significationem adstruendam.

§. XXIX.



§. XXIX. Sed nec mirum est, dicit Smalcius, tò accipere semen alicujus sensu nascendi ex illo nusquam apparet. Nam accipere semen alicujus est actio ejus, qui jam re ipsa existit: sed nasci ex aliquo non est actio ejus, qui nascitur, sed vel Dei vel parentum. Ubi, si kar' avthorov disputare luberet, possemus objicere Smalcio, quod nondum probatum sit, tò accipere in universum denotare actionem. Nam & materia accipit formam, non agendo, sed patiendo. Et multa sunt Exempla, quibus bona & mala accipi dicuntur, sine actione ejus, qui accipit. Sane cum Paulus I. Cor. I. 7. scribit: Quid habes, quod non acceperisti? Quod si vero acceperisti, quid gloriaris, quia non acceperis? non actionem accipientis notat, sed dantis. Accipientem nihil potius, quam aliquid, egisse dixeris. Et quid usitatus est, quam ut nos pariter atque res alias, esse nostrum & vitam, à Deo accepisse dicamus? Nec tamen, ut ad ea active aliquid conferremus ipsis? Verum hæc transeant. Nam in hoc quidem præsente casu & loco, agnoscimus, eum, qui semen Abrahæ assumpsit, assumendo aliquid egisse, tanquam qui jam re ipsa existenterit, cum accipererat assumere semen. Tantum spiritui superbo Sociniano monstrandum erat, quam infirmis utatur argumentis, ne sibi sapere nimis videatur.

§. XXX. Evidem hoc ipsum Smalcius negat, quod is, qui semen Abrahæ assumisse dicitur in textu, antequam nascetur ex posteritate Abrahæ, re ipsa existenterit. Imo succenset Grauero, quod astute Filii Dei meminerit, cum de participatione carnis & sanguinis loqueretur. Tace enim, ait, sumit Grauerus, existuisse Dei Filium, antequam homo fieret, cum tamen certum sit, Autorem Epistole

ad

DE ASSUMPTIONE SEMINIS ABRAHÆ. 25

ad Ebreos de Iesu, hoc est, de homine jam ex Maria nato dicere, eum participasse carnem & sanguinem. Hujus enim proxime ante mentio facta fuerat v. 9. Unde porro etiam statuendum est, de eodem IESU jam nato dici quod non Angelos, sed Semen Abraha recipiat. Hac ille. p. 14.

¶ XXXI. Sed nec mirum est, ad tuendum unum errorem plures adduci; & negata una veritate revelata, socias quoque vocare in controversiam. Ostendimus supra, νονοίαν & μελοχήν σαρκὸς καὶ αἵματος de communione naturæ humana accipi omnino debere, neque vagas θρ̄ον αἴσθοταί εὐηγγελιον Socinianorum cogitationes sequendas esse. Videlicet etiam statim §. III. nexum capitilis II. cum I. ostendere, quod IESUS ille, cuius capite II. vers. 19. si revera Filius DEI, Dominus ille, qui initio terram fundavit & cuius manum opera sunt cœli; ita ut non tam Grauerus astutie culpabilis, qua sinceritati opponitur, reus sit, quando de Filio DEI adhuc vers. 16. Cap. II. sermonem esse perhibet: id enim profecto verum est: quam Smalcianus astute prorsus pro filio DEI IESUM hic considerari jubeat, non habita ratione descriptionis personæ, prius traditæ, tanquam filii DEI, qui est character ἰωσάφατος ejus, creator hujus universi &c. quasi scilicet idem plane sit IESUS ac homo (ψιλὸς) jam ex Maria natus. Licet enim etiam nostri agnoscant, nomen IESU in circumcisione impositum, Luc. II. v. 21. tanquam nomen officii in humana natura explendi, Filium DEI ἐνσαρκοῦ denotare; falsum tamen est, esse nomen nudi aut meri hominis, aut qualibet prædicata referri debere ad illud tempus, quo is jam ex Maria natus fuit. Non solum enim Lucas ipse l.c. docet, priusquam in utero conceperetur, jam nomine IESU ap-

D

pella-

pellatum fuisse ab Angelo ; ubi absurdum fuerit, dicere, quod Maria conceptura fuerit in utero Jesum hominem, jam ex se natum : sed nec alias necesse est, prædicata semper referri ad subjectum secundum id , à quo subjectum denominatur, aut secundum illud tempus, quo subjectum ita appellari coepit. Itane enim, si dicamus, Rex David nascitur ex Isai aut Jesse, (prout Matth. I. 6. dicitur, Jesse genuit David Regem) colligendum erit, Davidem jam Regem factum sic demum natum fuisse ex Isai, ita ut prædicatum, nasci ex Isai, competit subjecto & formaliter, quatenus Rex est, & pro eo tempore, quo in dignitate Regia est constitutus. Quod si autem istud admittendum non est, ecce h. l. dicamus, de Jesu jam nato dici, quod non Angelos sed semen Abrabæ assumerit ?

§. XXXII. Novimus equidem, quæ à Socinianis objiciantur, adversus genuinam interpretationem cap. I. Ep. ad Ebr. & speciatim verborum versus secundi, quibus dicitur, Deum per filium hunc suum condidisse secula ; & vers. 10. tu in initio, Domine, terram fundasti, &c. scilicet quod Deus per Christum secula non omnia, sed aliqua tantum, nova & felicia condiderit ; quodque verba ex Ps. CII. vers. 10. citata quæ ad DEUM summum spectent, & ubi in toto Psalmo Christi mentio nulla fiat, non aliter ad Christum pertineant, quam per accommodationem ejusmodi, qua significetur, Christi regnum cum cœlo & terra æqualiter duraturum aut perennaturum, ita ut creatio cœli & terræ ei plane non tribuatur. Quo quid magis coactum & in verbi Dei tractatione magis audax, improbum, ineptum, dari possit, non videmus. Turbare pro-

DE ASSUMPTIONE SEMINIS ABRAHÆ. 17

protecto istanos, aut subducere animis nostris verum plenumque sensum S. Scripturæ, neuri quam debent.

§. XXXIII. Nihil rectius sese habet, quod postremo objicit Simacius: *Nusquam dicitur, cum de Christi nativitate vel ortu sermo est, Christum aliquid fecisse, ut hic, cum de receptione seminis Abrahami sermo est, dicitur: sed simpliciter, cum factum esse, vel simpliciter, esse ex semine Davidis, vel ex Patribus.* Nonne enim satis esse possit, illud hic, licet uno loco, dici? Cur saepius dictum oportuit? Quanquam, quod Christus in nativitate humana non habuerit se mere passive; verum ipse aliquid etiam fecerit, vel inde patet, quod productio humana naturæ miraculosa, effectus est virtutis divina, quam vocamus omnipotentiam. Cum enim hæc una sit, & tamen Christo competat ita, ut propterea dicatur παντοπότως, Apoc. I. 8. certe effectum omnipotentiæ illius etiam effectum ipsius Christi esse, ideoque Christum in ejus productione aliquid fecisse, negari non potest. Quod autem alias dicitur, ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο, verbum caro factum est, Ioh. I. 14. non obstat, quo minus ὁ λόγος ipse aliquid active contulerit, nempe per quem omnia facta sunt, & sine quo factum nihil, quod factum est; vers. 3. per eum, tanquam per causam efficientem, etiam hoc factum est, quod verbum ipsum factum est. Caro; non solum, quod producita est caro illa seu natura humana; verum etiam quod ὁ λόγος Caro facta. Scilicet ἀνα σὰρξ, ἀνα λόγος σὰρξ: uti veteres loquebantur. Esse ex semine Davidis aut ex Patribus, Christus dicitur, secundum ipsam naturam humanam, aut, juxta Rom. IX. 5. τὸ κατὰ σάρκα. Sed nec nos docemus, Christum secundum humanam naturam velut

jam existentem, effecisse, ut esset hæc natura humana. Concedant modo Sociniani, Christum secundum id, secundum quod filius DEI & Character substantia ejus, creator quoque coeli & terræ erat, fecisse aliquid in ortu aut nativitate humanae naturæ; facile vincet veritas.

S. XXXIV. Schlichtingius l. c. contra Meissnerum objicit; semen in Textu nostro, non uni Angelo, sed Angelis opponi, ideoque pluralitatem individuorum denotare: Atqui etiam ex nostra sententia Christum assumisse totam posteritatem Abrahæ in suam *υπόσατον*; sed naturam humanam singularem. Sed respondetur, (1) non esse necessarium, ut, si unum oppositorum pluralitatem importet, alterum similiter accipiat: Ita enim DEUM unum *cælis omnibus*, Ebr. I. 11. Christum unum *omnibus Angelis*; ibidem versu 6. 7. 8. 13. 14. *omnibus confortibus suis*, v. 9. toti quoque seriei Pontificum V. T. opponi, cap. 9. v. 25. (2) prout semen Abrahæ pro natura humana positum credimus; ita & Angelos, pro natura Angelica, quæ omnium una est in specie, sicut eorum, qui alias collective semen Abrahæ dicuntur; ita ut, cum negatur, eum assumisse Angelos, sensus sit, non assumisse eum naturam Angelicam, qualis in tot Angelis est, aut in ulla extam multis; & cum additur, eum Semen Abrahæ assumisse, una singularis, aut individua natura intelligi debeat. Quo tamen facto, nostram cujusque naturam communem, licet in singulari, assumisse Angelos.

S. XXXV. Quod si denique postulent Sociniani, dari sibi à nobis exemplum, ubi vox *ἐπιλαμβάνεθαι*, aut phrasis *ἐπιλαμβάνεθαι σπέρματός ήν*, in ea, quam flos in Textu praesente obtinere dicimus, significaciones alias occur-

currat: respondebimus, id necesse non esse, nec vel pie satis, vel prudenter, à quoquam postulari posse. Cum enim unio personalis duarum naturarum completarum in Christo sit μονογενές οὐγένεια; ideoque res ipsa, seu quod aliqua persona, præteream naturam, quam hactenus habuit, aliam naturam inter sebsistentiam suam recipiat aut assumat, nullibi in hoc universo extra personam Christi inveniatur; quid mirum est, Vocem aut Phrasin, quæ h. l. adhibetur, eodem sensu alias non frequentari? Nitirum Sociniana quidem Theologia talis est, in qua nullum mysterium, nihil rationis captum exedens: sed inter Christianos veri nominis sanctius vivitur.

S. XXXVI. Verum hæc ad vindicias nostræ doctrinæ hactenus sufficere possunt. Ad Socinianorum sententiam de sensu loci nostri examinandam pergemus. In qua certum est, quod non satis sibi constent: quando verbum ἐπιλαμβάνεται nunc de actione ipsi opitulandi aut juvandi, nunc de destinatione (scilicet passiva, adeoque obligatione,) ad juvandos alios; aut de ipso munere juvandi aut servandi eos, interpretantur. Smalcius, qui in lib. contra Grauerum q. 13. verbo Graco ἐπιλαμβάνεται Latinorum recipere, respondere perhibet; is addit, aliquem recipere dicitur, qui eum juvat, defendit, conservat. Mox autem laudat Sebastianum Castellionem, tanquam lingua Graeca peritisimum, & hic minime suspectum, qui vocem Graecam per verbum Latinum, Opitulatur, in loco ad Hebr. vertere non dubitaverit. Et in altero libro contra Smigleciūm cap. 22. pag. 127. conjungit illa: tantundem, ait, vallet (vox ἐπιλαμβάνεται) ac si aictum esset, non Angelos recipit, vel, non Angelis opitulatur, ut habet Castellio, sed se-

men Abrabe recipit, vel ei opitulatur. Post aliqua autem scribit: Verba hæc, semen Abrabe apprehendit, de liberazione tantum esse accipienda seminis Abrabe, eleganter nostri docuerunt. Schlichtingius comm. in ep. ad Hebr. pag m. 98. scribit: Quod semen Abrabe apprehendat, i. e. illud adjutet, ei opem ferat, eique servando proprie sit destinatus, istud multis S. Scripturæ locis expressum est. In Catechismo Racoviensi l. c. dicitur, id sibi velle cum scriptorem, Christum non esse servatorem Angelorum, sed hominum credentium, qui fideles suos à mortis reatu liberaret, & in omni afflictione iisdem opem ferret.

§. XXXVII. Differunt sane, actio ipsa, munus agendi, & ad munus atque actiones ejus destinatio. Nec apparet, unde probare possint Sociniani, una voce in uno contextu semel posita, duas aut tres illas significaciones contineri. Quamvis enim fortasse dixerint, habere illa ad se invicem relationum quandam, ita, ut destinatio sit ad munus, propter actionem; & contra, actio sit munieris actio; munus ex destinatione ab altero: non tamen una voce ἀπίλαυσις, ista simul & formaliter significari putandum est. Ac Sociniani, aliorum censores tam oculati & rigidi, hic potius sui rationem habere debebant.

§. XXXVIII. Quod si vel maxime cum Castellione in significacione activa opitulandi, juvandi, defendendi, conservandi, liberandi, adjutandi, opem ferendi, persistant: Beza quidem in Notis majoribus pag. 367. pridem monuit, exsecrandam esse Castellionis audaciam, qui ἀπίλαυσις convertit. Opitulatur, non modo falsa, sed etiam inepta interpretatione, cum ἀπίλαυσις nunquam hoc declarat

DE ASSVMTione SEMINIS ABRAHÆ. 3

ret apud Graecos. Cum autem etiam Grauerus Thesi 39. de Incarnatione monuisset, verbum ὅπλαυθάνομα in sacris nunquam significare in gratiam recipere; Smalcius ita eum loqui dicit, ac si concedat, vocem ὅπλαυθάνομα in profanis scriptoribus significare, in gratiam recipere, dum ait, in sacris nunquam id significare. Quod si ita est, addit, jam ipse met videat, annon vera sit significatio hæc vociis Graeca. Sic enim, qui interpretationes suas tuentur, viri docti, autoritatem Scriptorum Gracorum pretendere solent, & hactenus ab omnibus id ratum habetur. Sed neque Grauerus ideo concedit illud, à quo se abstrahit: neque si concederet, inde statim recte colligitur, eandem vocis significationem in sacris habere locum, qua apud unum alterumve Scriptorem profanum reperitur. Nam neque ipsi Scriptores profani sic ad aliorum exempla se alligant, ut non aliquando à modis loquendi, qui aliis recepti sunt, abstineant: neque in πολυτηρίᾳ vocabulorum sensum omnem faciunt suum. Sacris autem scriptoribus tanto minus promiscue tribuendi sunt sensus quilibet Phrasium, qui apud profanos scriptores occurruunt, quando styli sancti sublimitas & singularitas aliquando negari non potest. Nam neque Smalcius ausus est exemplum ostendere ex scriptis secularium Gracorum, ubi Phrasis ὅπλαυθάνομα στέμματος τινος, semen alicuius recipere aut assumere, occurrat.

§. XXXIX. Ceterum fatetur Smalcius, non esse necesse vocem ὅπλαυθάνομα significare, in gratiam recipere, sed fas tis esse eam simpliciter significare, recipio. Quo admisso, neminem non intelligere putat, banc vocis recipere, eam esse significationem, qua ad dogma incarnationis nihil prorsus faciat.

faciat. Nam is, ait, aliquem recipere dicitur, qui cum ju-
vat, defendit, conservat. Sed neque unquam probat,
quare vox Græca, repudiato vocabulo *assumere*, per rō
recipere sit reddenda. Deinde si vox illa simpliciter signi-
ficat, *recipio*, non autem recipio in gratiam; quæ ratio
est, quamobrem significet *juvare, defendere, conservare?*
Non enim hæc simplicem recipiendi actum denotant,
sed cum modo. Aliud est recipere simpliciter; aliud re-
cipere juvando, defendendo &c. Notum est illud Comicj:
Recipite me in gregem vestrum: ubi non idem postulatur, ac
juvate me, defendite me, conservate me: sed convenit cum
eo, quod apud Ciceronem legitur, assumere aliquem in
societatem; adjungere in societatem; Atque ita tandem
etiam concedi posset, hoc loco vocabulum recipere pos-
se adhiberi; ut dicamus: *Non angelos recipit in societa-*
tem divinæ suæ naturæ, sed Semen Abraba in hanc socie-
tatem recepit, qua ratione utique phrasis illa ejusque si-
gnificatio ad dogma de Incarnatione non prorsus nihil, sed
plurimum faciet. De Socinianis vero dixeris, quod ali-
bi apud Comicum habetur, de sciolis superbis: Faciunt
me intelligendo, ut nihil intelligant: nec in verbis, nec in
rebus sapientes.

S. XL. Quod autem vox ἀπλαύσαντος idem notet,
ac *juvare, opitulari, defendere*, Smalcius ex multis exem-
plis unum atque alterum se producturum; dicit; & assert
Eccles. IV, 12. verba: οὐ σοφίᾳ ὃντος ἐαυτῆς ἀνύψωσε, τοι ἀπ-
λαύσαντος τὸν Στράντων; ut & locum Matth. XIV, 21. ubi
extensa manu Iesus apprehendit eum (Petrum) ἐπελαύσερο
αὐτὸν: (vitia quæ in scriptione Græca hic apud Smalci-
um occurruunt, transibimus: quæ fortassis Typographo
adscri-

DE ASSUMPTIONE SEMINIS ABRAHÆ. 33

adscribentur :) Sed profecto si alia sibi magis commoda Scripturæ dicta, in promptu habuisset, non ex multis illa minus probantia producturus fuerat. Atqui neuter locus in rem præsentem aliquid probat. Neque enim queritur, an vox ἐπιλαυτάρεθη aliquando vi contextus relationem habeat adjuvandum, defendendum, conservandum : sed an, velut ex communi, aut propria, aut saltem principali significatione concludi possit, eam hoc loco ad Ebræos idem esse, ac juvare, defendere, conservare ? At vero, si priorem locum Libri Apocryphi intueamur, non solum non probat Smalcius, sensum formalem esse l. c. quod sapientia juvet eos, defendat, conservet. (Quid si enim dicatur, sensum esse, quod in societatem, familiaritatem, conversationem suam recipiat ? Habebitne ille, quod opponat ?) Sed si maxime locum habebat modifícata illa significatio, juvandi, defendendi &c. non tamen ideo patebit ea ex ipsa indole vocis ἐπιλαυτάρεθη in se spæcitate, sed ex conjunctione cum voce altera ἀνύψωσ. Ad posteriorem locum quod attinet, non habetur vox ἐπιλαυτάρεθη cum nomine objecti simpliciter ; sed præcedunt verba ὡς ἵνα τίνεται, ἐπελάβετοιτε : quod idem est ac manu prehendere, ut organon aut medium actus indicetur. Quanquam nec sic universale est, ut operitulatio significetur : nam & illos manuprehendimus, quos puniri sumus. Neque ex eo, quod verbum coniunctum cum nomine organi, modificatum illum sensum habet, inferre licet, quod eundem etiam habeat, cum omisso eo adhibetur.

§. XLI. Imo vero nec Nostri denique negabunt, Apostolum in hoc sermone animum intendere ad libera-

E

tionem

tionem hominum à metu mortis, & ad opem in omni afflictione eis, ab illo, qui semen Abrahæ assumit, ferendam, tanquam qui sit Servator, non Angelorum, sed hominum credentium. Concedimus enim, Contextum hoc tandem spectare. Hoc autem monemus, quod vox illa ἐπιλαμβάνεται hoc loco, ipsaque Phrasis assumere semen Abrahæ, non formaliter τὸ οἰπιτολαρί αὐτὸν juvare, defendere, conservare, sed assumptionem & unionem assumti cum asserente denotet, licet non exclusa intentione & conatus juvandi eos, quorum naturam is assumit. Nempe fundamentum opitulationis, auxilii, salvationis, ab ipso actu opitulandi, juvandi &c. distingvimus: de priore in hoc versu 16. agi, reliqua in antecedentibus & consequentibus tradi credimus.

§. XLII. Smalcio autem non possumus non indignari, qui cum suam & suorum de nostro Texu sententiam exposuisset, ita concludit: *Hunc sensum esse hujus loci, plenum consolatione, nemo, qui non oscitanter cum legit, diffiebitur, quem isto monstrō de Incarnatione dogmate ex animis hominum extirpari, prorsus necesse est.* Constat ex modo dictis, sensum, quem nos amplectimur & sequimur, non tantum genuinum esse, sed & consolatione plenum, quo fundamentum consolationis certissimum ac prorsus singulare hominibus, peccati atque iræ divinae sensu afflictis, suppeditur: scilicet quod habeamus Servatorem, qui cum sit Filius DEI ac DEUS ipse, Creator hujus universi; simul tamen etiam nostræ naturæ participes factus, ita nostram, velut fratum, causam agat. Socinianus autem iste sensus, quo Christum esse merum hominem supponit, & liberatio à poenis in Judicio divino, auxi-

auxilium etiam in afflictionibus ac tentationum astu hominibus a mero homine promittitur, ita tamen, ut peccatum originis, de quo per revelationem convincimur, & vulnera ejus roties experimur, pro fabula habeatur, iustitia DEI vindicativa, quam mens sibi male conscientia non potest non formidare, ex attributis essentiae divinae eliminetur, satisfactio Mediatoris pro peccatoribus, sine qua fiduciam in DEI offensi bonitate ad remissionem peccatorum concipere firmiter non possumus, ludibrio habetur; quomodo consolatione vera & efficaci plenus sit, e quidem non videmus: potius extirpari eam prorsus ex animis hominum monstroso ista explicatione Scripturæ & subductis fundamentis solatii, necesse est: idque nemo, qui non oscitanter illa legerit ac meditatus fuerit, nec rationem coecam secutus, mysteria fidei pro monstrosis dogmatibus habuerit, diffitebitur.

§. XLIII. Mirum vero, quod Interpretatio illa etiam aliis quibusdam placuit, incarnationis quidem mysterium approbantiibus, attamen hunc Textum ejus probationi subtrahentibus. Nempe ex Pontificiis post Fr. Riberam (ad quem etiam Crellius & Schlichtingius, Sociniani provocant) Guilielmus Estius occurrit, qui in Comment. ad h. l. p. 897. scribit: Gracum vocabulum non simpliciter assumere aut accipere significat; Sed apprehendere, vindicare, manum injicere in rem aliquam. Et post al qua interjecta, p. 898. a. cum priora repetiisset, addit: vindicantur autem, qui in libertatem assumuntur; & concludit: Itaque sensus videtur hujusmodi; Christus enim non Angelos, sed nos homines è potestate Diaboli, mortis imperium habentis, eripiens, velut injecta manu apprehendit, ac

sibi vindicat, & in libertatem afferit. Facile autem conspectus docet, non alias hic esse rationes, quam ad quas supra respondimus. Ex Reformatis *Johannes Camero* in Myrothecio Evangelico eandem cum *Castellione* & *Socinianis* interpretationem, sed nec aliis rationibus, proponavit: cui tamen, licet suppresso ejus nomine distincte responderunt ex Sociis *Franc. Gomarus* in Analyt. Explic. Ep. ad *Hebr. Part. II. Opp. p. 309. & P. Ravanellus Bibl. Sacr. voce *Affuso*, p. I. p. 252.*

§. XLIV. Nec negandum est *Mariam Flacium*, licet sane doctrinæ de Incarnatione assertorem valde studiosum, nihilominus in alteram illam explicationem verborum declinasse, quando in Notis ad Cap. II. num. XVI. p. 110g. b. scripsit: *Verbū ἐπιλαμβάνεται* plerique intelligunt dici de assumptione per incarnationem: sed forte non minus recte intelligeres de Metaphorica susceptione, hoc est, de receptione in curam & liberationem; sicut in dicto, Suscepit Israhel puerum suum: & Pater ac Mater deseruerunt me, Dominus autem suscepit me. Sed is quidem (1) rationem non addit, quare Metaphorica susceptio non minus recte intelligenda sit, quam illa, quæ magis propria est. (2) observare debebat, quod in loco priore à se hoc adducto *Luc. I. 54*, non habeatur vox *ἐπιλαμβάνεται*, sed *διτίανται*. Similiter (3) quod in posteriore loco *ps. XXVII. 10.* in Ebraeo texto habeatur vox *Ἄρνηται*, apud LXX. autem verbum *τερπλαμβάνεται*: quæ si maxime vocabulo *ἐπιλαμβάνεται* respondere dicantur, certum tamen est, Ebraicum *Ἄρνηται* etiam *II. Sam. XI. 27.* adhiberi, ubi David Baithebam uxorem domum duxit: cum quo mysticæ illæ nuptiæ filii Dei cum natura humana facile convenient: (quam-

(quamvis si LXX. illic habebant vocem σύναγειν;) Græcum autem illud προσλαμβάνεσθαι plane ad literam sonat assumere, accipere præterea, adsciscere, sibi adjungere, unde προσληψις est assumptio, actio assumendo: & sic communior interpretatio textus nostri magis confirmaretur. Sed hæc transeant.

§. XLV. Grotius non obscure Socinizat, quando significationem solenniter vindicandi, apud Platonem & alios querere jubet, manus infectionem, ex vi vocis ἐπιλαμβάνεσθαι, exemplis locorum quorundam Scripturarum & congruentia cum verbis Ebraicis יָמַנְתִּי & פִּלְמַנְתִּי & שָׁמַנְתִּי colligit, eoque morem illum, quo solebant manu apprehendi, qui è servitute aut vinculis educebantur, refert. Sed neque Græci verbi hæc est perpetua aut prima significatio, ut vidi mus; neque vocum Ebraicarum, quæ analogæ habentur. Nam & verbum יָמַנְתִּי per ἔχω, κατέχω, πορτέω, interdum reddiderunt LXX. Latini per teneo, retineo, possideo; & verbum פִּלְמַנְתִּי in Hiphil פִּלְמַנְתֵּה per prehendit, apprehendit, retinuit; idem accidit verbo שָׁמַנְתִּי. Quod autem ad ritum illum in educendis è servitate hominibus, respexit Apostolus, cum ad Ebraeos scriberet, unde probabitur?

§. XLVI. Obiter mentionem facimus Jeremie Felsingeri, qui licet Socinianus plane haberi nolit, de mysteriis tamen S. Trinitatis, & Incarnationis Christi idem cum illis sentit, in Germanica autem sua versione N. T. verba sic reddidit: Er nimmt sich ja nirgend der Engel an / sondern des Saamens Abrahams / nimmt er sich an; cum Lutherus reddidisset: Er nimmt nirgend die Engel an sich / sondern den Saamen Abrahä nimmt er an sich. Scilicet hæc est asturia; pro phrasi, Etwas

an sich nehmen / substituere Phrasin : sich eines (Dinges) annehmen : Quæ notabiliter differunt. Felbinus autem probare debebat, ubinam vox Græca ἐπιλαυ-
Cavedas significet, sich eines annehmen : cum Smalcianus significationem recipiendi in gratiam noluerit urgere; juxta illum autem reddenda vox esset, curam alicujus gerere, quod usu loquendi destituitur. Sed mittamus hæc tandem.

§. XLVII. Res monet atque instituti ratio, ut assumptionem Seminis Abrahæ pro natura humana accepti, paulo curatius cognoscamus atque explicemus. Quanquam enim non dememinerimus, μηδέποτε esse, cujus τὸ δόγμα nosse sufficit, τὸ δόγμα non æque perscrutandum est; attamen non solum sana doctrina à Nestorianorum atque Eutychianorum erroribus distingvenda ; sed etiam juxta contextum loci præsentis, ubi Filius DEI dicitur παρθένος, consimiliter, uti pueri, carnis & sanguinis particeps factus, conceptionis puerorum, juxta cursum naturæ, & conceptionis Christi humanae ac miraculosa, convenientia secundum quid, & in reliquis differentia, explicanda venit : quantum quidem revelatione divina nixis, & quæ in natura rerum occurrunt, sobrie ac pie conferentibus, licet.

§. XLVIII. Evidem, si ad qualibet hereticorum deliria digrediendum foret, primo statim Cerimbi illa sententia examini nostro occurreret, qui assumptionem hominis à Filio DEI explicaturus, Christum, Filium DEI à Jesu, homine mero, ita distinxit, ut illum post baptismum descendisse in IESUM, diceret, ab ea principalitate, quæ est super omnia figura columba, & tunc annunciasse incognitum Patrem & virtutes perfecisse : in fine autem revolasse iterum.

DE ASSUMPTIONE SEMINIS ABRAHÆ. 39

de JESU, & JESUM passum esse & resurrexisse, Christum autem impassibilem perseverasse existentem spiritualē: quæ verba Irenæi sunt ex interpretatione veteri Latina Lib. I. Cap. XXV. Verum ista quidem assūtio cum participatione carnis & sanguinis, quæ in pueros ab ineunte ætate vitæque initio cadit, prorsus non convenit, & multis modis ab analogia fidei discrepat: itaque paucis rejicitur.

S. XLIX. Nestorius quidem & ipse à Vincentio Lerrinensi in Commentario Cap. XVII. suspicioni magis indulgente, quam testimoniis firmioribus nixo putabatur, Post partum jam Virginis ita in unum Christum duas peribere convenisse personas, ut tamen conceptus seu partus virginis tempore, & aliquanto postea, duos Christos fuissent contuleret; & quum scilicet Christus homo communis primum & solitarius natus sit, & nec dum Dei verbi unitate persona sociatus, postea in eum adsumentis verbi persona descenderit; & licet nunc in DEI gloriam maneat adsumitus, aliquamdiu tamen nihil inter illum & ceteros homines adfuisse videatur; quem secutus, ut videtur, Bellarminus, Lib. II. de Incarnatione. Cap. V. docuit, Nestorium cum lectoribus suis eandem cum Cerintho hæresin fuisset amplexos: sed nihilominus, Cyrillo ipso teste in Epist. ad Acacium, quæ extat in Actis Concilii Ephesini Part. II. cap. XXXV. constat, agnivisse Nestorium τὸν ὥστελθεν Ιονταρέων ἡγεμόνα, Deum ex Christipara virgine processisse; adeoque Deum homini jam tum in utero Mariæ fuisset conjunctum.

S. L. Unionem autem Filii DEI & hominis, quam Nestorius agnovit, sive in utero Mariæ, sive serius inchoatam σχέσιν tantum esse, non autem realem; in sola communicatione dignitatis, vel auctoritatis, vel potestatis, inde-

indeque ortæ similis appellationis consistentem; *Cyrillus Alexandrinus* judicavit: quemadmodum constat ex ejus Anathematismo III. & Epistola L. ad Successum; Scholiis quoque de Incarnatione unigeniti cap. XXIX. & locis pluribus Actorum Concilii Ephesini. Idem tamen etiam A. nath. V. & Scholiis de Incarnat. unig. Cap. XVII. XXIII. XXIV. talia de Nestorio memorat, quæ majorem quan- dam conjunctionem inferunt. v. g. λόγον ab homine ferri, Christumque esse θεοφόρον. Nam & in excerptis, quæ P. II. Act. Conc. Eph. Act. I. habentur, legimus, λόγον à Ne- storio vocari *Affumentem*, & Hominem *Affundum*: dici etiam, Deum adesse homini eumque ferre. Imo in Episto- la ad Cyrilum, nomen, Christus, utramque naturam in unica persona notare, eundemque Christum patibili- lem simul esse secundum humanam naturam, & impati- bilem secundum divinam naturam, confessus est: nexum quoque naturarum duarum in Christo indissolubilem, con- junctionem quoque summam, perpetuam, continuam, inef- fabilem dixit: ibidem, & in Epist. ad Cœlestinum, uti & apud Cyrilum L. II. contra Nestor. Cap. VII. & VIII. Lib. V. Cap. I. Epist. II. ad Success. & Epist. ad Acacium Melitensem. Denique Cyrilum ipse laudavit, in Epist. ad eum scripta, quod distinctionem naturarum secundum di- vinitatis & humanitatis rationem, harumque in ea duntaxat persona conjunctionem predictet; quæ omnia & vera sint & orthodoxa, & vanis omnium hereticorum circa Domini na- turas opinionibus quam maxime adversa. Crederes, ipsum quoque in hac doctrinæ parte orthodoxum.

S. LI. Attamen cōm negaret, Mariam dici posse θεοτόκον, ac vocem hanc tanquam larvam (ὡς μορφολύκηα) refor-

DE ASSUMPTIONE SEMINIS ABRAHÆ. 41

reformidaret; Socrate teste Lib. VII. Hist. Eccl. C. XXXII. cum doceret, Deum dici non debere illum, qui nostri causa homo factus est; testante Synodo Ephesina in Epistola ad Augustos. P. II. Act. I. & P. III. Cap. XII. in Homilia Theodori Ancyrani contra Nestorium; ita nollet, eum, qui bimembris & trimembris fuit, in Ægyptum fugit, &c. appellare Deum; non immerito visus est, veram naturæ humanae in ὑπόστασι Filii DEI assumptionem negasse ac verbis refellisse B. Chemnitius noster de duab. Nat. in Christo Cap. VIII. p. m. 40. 41. ubi Nestorii errores distincte exponit, num. I. memorat, quod docuerit, Verbum assumisse hominem, qui scilicet prius formatus fuerit, & illi homini per se prius subsistenti, verbum postea unitum esse, b. e. Verbum assumisse non Naturam sed Personam, ita ut duo sint Christi incarnati ὑπόστασι. II. In illo assumto bomine verbum inhabitasse non personaliter, sed tali modo, sicut in sanctis inhabitat; nisi quod in illum assumtum hominem dona numero plura & gradibus majora contulerit, & per hominem illum, ut per organum, plura ac majora operatus sit. III. Unionem divinae & humanae naturæ definiterit sola connexione siue conjunctione dignitatis secundum participationis affectum; vel sola communicatione virtutis & operationis in assumptione carne, sine convertitu naturarum ad unum φρεσκευον. num. VII. (nam reliqua hic præteriri possunt) Divinam Naturam per τα πρόσωπα sive τα εγχέστα h. e. per assidentiam, appositionem sive attingentiam, conjunctam esse humana natura, non per talen περιαχθέστων, sicut anima corpori, & ignis ferre.

S. LII. Ex adverso Eutyches assumptionem humanae Christi naturae sic explicavit, ut ex duabus Naturis unam

F

esse factam diceret, humana in divinam converia, & per eam quasi absorpta. Vid. Leontius de Sectis Act. I. Tom. II. Bibl. PP. Edit. Paris. p. 496. Similitudini si locus feret, dices, quemadmodum alimentum assumptum in substantiam vescientis convertitur; sic ex mente illius Naturam humanam in divinam, à qua assuinebatur, convertam fuisse.

S. LIII. Excludendo atque errori statuerunt Orthodoxi Patres in Concilio Chalcedonensi, praecente Leone M. Episcopo Romano, ut Christus diceretur esse in duabus Naturis ἀνυγότας, inconfuse, ἀτέλητος, inconvertibiliter αἰαιζέτως καὶ ἀχωρίστως, inseparabiliter & indistanter: Scilicet Naturas in Christo duas non esse permixtas neque confusas in unam; non esse unam eorum conversam in aliam; sed utramque illarum retinere essentiam & proprietates suas; attamen nullis nec temporum nec locorum intervallis secundum ἑτοῖσιν unquam separari, aut separare posse.

S. LIV. Ut autem etiam unionem illam Naturam divinæ & humanæ à conjunctione DEI cum sanctis, & inhabitatione ejus in illis, clarius discernerent Orthodoxi, docuerunt, humanam Naturam in se esse ἀνυγάσαν, aut carere propria subsistentia vel hypostasi; Filium DEI autem, sive τὸν λόγον, communicasse suam hypostasin humanæ Naturæ, qua subsisteret atque in ultimo existendi modo completeretur aut terminaretur, & sic Persona Filii DEI, quæ ab æterno erat simplex, nunc ex duabus Naturis σύνθετη aut composita esset. Quam in rem Damascenus scribit Lib. III. de orthod. Fid. Cap. XI. Carnem factum esse verbum, est, ipsam Verbi hypostasin sine conversione factam esse carnis hypostasin. Sic nimirum Filius DEI non

DE ASSUMPTIONE SEMINIS ABRAHÆ. 43

non hominem, sed humanam Naturam assumit, ut tam
men hoc ipso filius DEI fieret homo; jamque ex re &
vero dicere liceat: *Deus est homo, & vice versa, Homo est
Deus.*

§. LV. Cum vero ad intimam illam naturarum
conjunctionem exprimendam, etiam verba ab una natu-
ra deducta participialiter de natura altera prædicarentur
in abstracto, ac v. g. *Divina natura* diceretur σεσαρκούμενη,
& contra, *Caro Christi* diceretur θεοθέτητα, τεθεωμένη,
quorum illud *Cyrillus*, hoc *Damascenus* usurpavit; facile
quidem sollicitudo orta fuit, ne hoc modo conversio na-
turae alterius in alteram introduceretur. Et Cyrilli qui-
dem phrasin *Damascenus* ipse taxaverat, ut tamen loquen-
tem excusaret, qui tantum indicare voluerit, *Divinitatem*
intime carni unitam esse: Suæ autem, qua ipse usus erat,
locutionis sensum Orthodoxum declaraturus dixit, se il-
lud θεοθέτητα intelligere, ἡ οὐδὲ μεταβολὴ, οὐδὲ καθ' ἔνων
καὶ περιχώρησι τῶν Φύσεων ἐν αἰλῆλαις, non secundum con-
versionem, sed secundum unionem & communicationem (a-
lias penetrationem dicunt) naturarum in se invicem. Vid.
Damasc. L. III. de O. F. Cap. XIX. ubi tamen simul mo-
net, περιχώρησι non ex Carne, sed ex Divinitate factam
esse: Impossibile enim esse, Carnem permeare (penetrare,
active loquendo) *Divinitatem*. Conf. Leontium de Sectis
Act. VIII.

§. LVI. Ceterum quando Filius DEI ita assumit
semen Abrahæ, id est, naturam humanam, ut tamen juxta
verba Ferrandi Diaconi supra §. XII. citata, non inveniret
hominem paratum, ideoque nec personam aliquam suscipe-
ret; & tamen juxta Theodoreti verba ibidem adducta, in-

42 DISSEST. AD LOCUM EBR. II. 16.

carnareretur aut homo fieret Filius Dei, quatenus *humanam* naturam *assumfit*: (ενανθεύπνεε, την ἀνθρώπειαν Φύσιν λαβεῖν, dicebat) opera preium est, ut hanc naturam humanam assumptionem atque ενανθεύπνεεν οὐ λόγος ulterius & velut proprius contempletur, facta collatione cum generatio-
ne aliorum hominum carnali aut naturali.

S. LVII. Vetus sententia est, conceptum seu fo-
tutram animalem atque humanam seu *κονικὰ* illud, quod
Aristoteles vocat, esse primam *mixturam* (*humorum*) *viro*
& *feminae* πρῶτον μήγα καὶ θηλεῖς καὶ ἄρρενες, ut loqui-
tur Lib. I. de Gener. Anim. c. XX. p. m. 126. B. juxta
quam tamen de filio DEI dici non potest, quod *κονικά*
ejusmodi aut *μήγα* in Maria assumferit. Hac enim vi-
rūm non cognovit, Luc. I. 34. Sed nec dici potest, Spiritu-
tum S. humorem aut rem aliam in locum seminis virilis
substituisse. Nam ipse quidem Spiritus S. per essentiam
immaterialis est, ut de sua substantia impartibili partem
sopportare non posset: aliunde autem eum sumfisse quic-
quam, aut ex nihilo creasse, quod vicem virilis seminis
sustineret, ac virgineo corpori intulisse, probari non pot-
est. Unde, quod Matth. I. 18. Maria dicitur εὐ γενέσαι
Χριστὸν εἰς κονικά, gravida ex *Spiritu S.* communi-
ter Auctores docent, denotare Causam Efficientem, neu-
tiquam Materialem.

S. LIX. Evidem quod ad naturalem generatio-
nem attinet, ibi quoque differentiū auctores: utrum se-
men viri se tantum per modum Causæ efficientis, an et-
iam tanquam materia habeat, ad generandum fœtum?
Aristoteles verba, S. præcedente citata, existimantur qui-
busdam significare, quod sibiles ex patre, tanquam Cau-
sa

DE ASSUMPTIONE SEMINIS ABRAHÆ. 45

sa effidente cum materia, nascatur. Sed quia Philosophus Lib. eodem de Gener. anim. cap. II. p. m. 121. D. E. marem quidem & fœminam generationis principia ($\tau\eta\varsigma\gamma\epsilon\nu\epsilon\omega\varsigma\delta\chi\varsigma\delta\varsigma$) esse perhibet, sed cum hoc discrimine, quod mas habeat principium motus & generationis originem ($\epsilon\delta\mu\epsilon\varsigma\alpha\pi\pi\epsilon\omega\varsigma\delta\chi\varsigma\delta\varsigma$) fœmina vero materia ($\tau\delta\delta\eta\lambda\upsilon,\omega\varsigma\delta\chi\varsigma\delta\varsigma:$) ideo alii mentem ejus sic explicant, quod mas concurrat tanquam Causa efficiens principalis, mediante semine, ut instrumento & agente vicario, quod non sit ipsa materia, aut aliquid materiae, sed per virtutem sibi impressam agat in materiam, eamque disponat & efformet, formam materie unitat, atque hoc ipso generationem perficiat.

§. LIX. Priori sententiæ, quantum ad præsentem questionem attinet, affinis videtur illa Hippocratis (quamvis Galenus dubites, utrum ille sit autor? an Polybius?) Lib. de Natura Pueri, aut de Genitura, in cuius initio, p. m. 34. b. ex interpretatione Latina Iani Cornarii, ad generationem requirit, ut genitura ab utroque (mare & fœmina) profecta permaneat in utero mulieris, ac simul permisceatur, eumque G. J. Vossius secutus est Lib. III. Theol. Gentil. cap. XXII. p. m. 811. Posteriori plures ex recentioribus accedunt, licet in explicanda operatione seminis, tanquam principii activi, in materia aliena, uti de virtute ipsa activa, valde varient. Aliqui certe nihil de feminis virilis corpore, sed tantum Spiritum, ex quo semen secundum dicatur; in feminâ servari, & facultate sua, velut irradiante, utrum pariter & massam fœminam, quæ materia sit feceris concipiendi, secundare, prohibent: de quibus jam non est ut prolixius agamus.

F 3

Quic-

Quicquid enim sit, profecto non solum liquorem nullum seminalem viri cuiusdam, aut liquorem similem, miraculose quantumvis productum, tanquam materiam, ex qua producenda esset humana Christi natura, delatum esse in uterum sanctissimæ virginis, affirmare possumus, sed neque materialem quandam Spiritum seminalem aut genitalem, quem quidem vocant, qui per modum principii activi concurreret, in Mariæ corpus immisum fuisse; Spiritum S. autem, per potentiam activam divinam eamque in finitam, defectum omnem illius, quod in generatione naturali à viro, mediante semine, præstatur, suppluisse, attamen nec ex nihilo, sed ex materia, quam in virgineo corpore Mariæ invenerat, foetum illum sobolemque perfectam produxisse, credimus. Qua ratione Damascenus L. I. de orth. Fide cap. II. τὴν ἀειπαθέτον ἀσπόρην τῷ ἀφθόνῳ concepisse scribit; & Nostris, Spiritum S. esse caulam efficientem incarnationis Christi, non tamen efficientem cum materia, quam ipse præbeat, sed operatione hactenus immediata, docuerunt.

S. LX. Socinus quidem contra Wujekum docuit, à Deo in virginis uterum substantiam aliquam creatam immisam fuisse, ut Christus non matrem tantum; sed patrem habuerit. Et Smalcius in Resp. ad Nova Monstra novi Arianistri à Smiglecio edita, c. XIIIX. p. 158. 159. Christum ex duplice materia, sanguine videlicet Marie cum semine, quod Deus produceret, commixto, non autem ex sola virginis substantia esse progenitum, contendit. Sed neuter, quod licet, probat. Imo vero, si Christus in substantiam suam traxisset materiam quandam seminalem, ab ea, quam Maria de posteritate Abraham ac Davidis nata in se habebat, diver-

diversam, dicendum fore Christum quoad substantiam suam non esse simpliciter semen Abrahæ aut Davidis, sed tantum secundum quid. Atqui juxta promissiones divinas ex alio semine futurus non erat. Nec de nihilo est, quod Nostrates monent, obumbrationem illam virtutis altissimi, nusquam describi, tanquam seminationem; ac notum est illud Damasceni III. de Orth. Fid. cap. II. Spiritum S. venisse super Mariam non ex equarum sed dñeque inact; quod Justinus Apol. II. pro Christianis p. m. 194. dixerat, non per concubitum, virtutem; Augustinus autem serm. XI. de Temp. non generatione (humanæ simili) sed benedictione, genitum fuisse Christum.

¶. LXI. Ipsam autem virginem de suo aliiquid permodum materiæ contulisse ad conceptionem illam, certum est. Quamvis enim non simul se habuerit efficienter, eo modo, quo ad generationem naturalem foeminam active aliiquid conferre quidam contendunt; attamen satendum est, aliiquid de substantia virginis in materiam productiōnis naturæ humanæ Christi cessisse. Non solum enim illa Mater Iesu, Matth. II. II. 13. 14. 20. 21. Lye. I. 43. II. 34. 48. (ubi, quod de Josepho Patre dicitur, juxta analogiam fidei, non nisi curatorem notat) Job. II. 3. 5. 12. XIX. 25. & vicissim Jesus illius Filius dicitur, Matth. I. 21. 25. Luc. II. 7. 48. sed etiam fructus ventris (nagmōs in hebreas) ejus, Luc. I. 42. atque ita γενέσις οὐκ εἰναι τὸν φαῖτον ex muliere. Et quanquam id, quod Maria hoc modo contulit, per naturam non esset aptum ad producendum, inde, sine concursu viri & seminis ejus, secundum humanum perfectum, sufficit tamen revera in substantiam foetus cessisse, & cum non haberet potentiam passivam

naturalem ad recipiendam formam sibolis humanæ, habuisse tamen respectu Dei ac Spiritus S. potentiam obiectivalem; uti scholæ loquuntur. §. LXII. Juxta eam sententiam, qua statuitur, materiam generationis naturalis esse semen virile pariter atque id, quod foemina confert, ex adverso docetur, materiam generationis Christi humanæ & generationis naturalis cæterorum hominum ex parte tantum fuisse eandem; deficiente videlicet materia altera, ad consuetum pappula requisita, ac tantum relata ea, quam mulier suppeditare potest, & alias solet. Sed juxta posteriorem sententiam, qua virum, mediante semine, in genere causa non materialis, sed tantum efficienter, concurrere ad generationem creditur, ita, ut mulier materiam non partialeat, sed totalem, generandi sc̄etus conferat; nihil obstat vi detur, quo minus materiam generationis Christi humanae & nostræ totaliter eandem secundum substantiam fuisse dicas. Modo etiam Mariam virginem sine virili semine, (sive efficienter tantum, sive efficienter simul & materialiter, alias juxta cursum naturæ concurrente) conceperisse, ac Spiritum Sanctum infinita sua virtute absque materia, virilis seminis vicaria, defectum illius suppleuisse doceatur, non appetet, quid mysterio Incarnationis præjudicetur.

§. LXIII. Quemadmodum etiam de materia generationis naturalis, quam mulier confert, inter naturæ scrutatores disquiritur, ita de eo, quod sanctissima virgo ad conceptionem Salvatoris contulerit, diversæ sequuntur sententiae. Cum aristoteles non agnosceret semen feminum, materiam autem generationis putaret esse sanguinem

gvinem menstruum; scripsit enim I. de Gener. Anim. C. XIX. p. m. 1233. B. Φανερόν ὅτι οὐ θῆλυς συμβάλλεται ανέγους εἰς τὴν γένεσιν: manifestum est, quod feminam semen non conferat ad generationem: idque probaturus addit: Nam si semen esset, menstrua non essent, nunc ideo illud de-est, quia hæc sunt. Et Cap. XX. p. 1237 A. docet, fami-
nam ad maris genituram (γονὴν) nongenituram, sed materi-
am (εἰς γονὴν αὐλαῖον) conferre; & addit hæc verba: κα-
τὰ γὰς τὴν τρέψιν ὑπὸ εἴσιν ναζαρεῖον Φόρος, Natura men-
struorum pro prima materia (foetus,) est; accidit inde, ut
qui de naturali generatione idem cum Aristotele sentie-
bant, etiam in hoc sacro negotio docerent, massam san-
gvineam virginis Mariæ cessisse in substantiam sanguinis san-
ctissimæ: factaque hæc est sententia plurium Theolo-
gorum, qui materiam ex qua conceptionis sanguinem
Mariæ, aut massam sanguineam aut guttulas sanguinis
virginalis, dixerunt. Quanquam quod Helmontius pu-
tavit, Christi corpus in corde Mariæ conceptum, hinc de-
inceps in utrum ejus fuisse delatum, nemo, quod sci-
am Theologorum suo calculo probaverit. Neque e-
nim & is, quod docet, confirmat: & licet Maria verbum
DEI, per Angelum ad se factum, cor defidi recipere re-
cite credatur; ita tamen cor ipsam mentem denotat. Et
aliud est, credere, se concepturam; aliud, concipere
foetum humanum in corpore.

S. LXIV. Sic autem alii Naturæ scrutatores sœni-
nis etiam semen inesse docuerunt; ita semen Mariæ vir-
ginis, congrue ad hypothesis illam, materiam Concepti-
onis Christi fuisse docebatur. Sane & Nostrum non
pauci dixerunt, Christum assumisse semen Marie. Quam-

numbs

G

vis.

vis enim aliqui fortassis eo sensu id explicaverint, quo etiam Aristoteles affirmavit, *menstrua semen esse*, sed non purum (καταμήνια σπέρμα, & καθαρὸν δέ) I. H. de Gener. Cap. III. p. m. 1251. F. & iterum: *menstrua sunt semen incoctum* (εῖτα καταμήνια σπέρμα ἀπεπλού) Lib. IV. Cap. V. 1321. D. nam & B. Gerhardus in Exeg. Loc. IV. §. 112. p. m. 1334. scribit, *Filiū DEI ex massa seminali & sanguinea carnem animatam sibi construxisse*: attamen nec de sunt, qui *virginēum semen expresse appellant*: prout B. Hülsemannus praelect. in F. C. Art. IV. Cap. III. p. m. 303. *Incarnationem quoad formam descripturus, virginis animaque seminis assumptionem &c. esse dicit*; B. Scherzerus Coll. Anti-Soc. Disp. XLIX. Object. XXIX. p. 401. ex solo, inquit, *virginis semine natus est Salvator*. *Semen mulieris, non viri*. Gen. III. 15. & B. Quensted. System. Theol. p. III. Cap. III. memb. II. Th. XII. p. 338. *Spiritum Sanctorum elicuisse semen prolificum ex castis Mariæ semper virginis sanguinibus, docuit*. Hülsemannus autem loco citato §. III. peculiariter monet, *unionem seminis animati cum persona λόγου ordine priorem fuisse conceptione*: Alias, ait, *non θεοβητος, sed nudus homo, conceptus esset*.

§. LXV. Qui cum recentioribus Physicis Medicis, que in corpore foeminino humano æque ac brutorum, ovarium quoddam, & sive vesiculos albo liquore plenas, ex quibus formari possit & soleat foetus, sive alio modo descripta ova, agnoscentibus, consentiunt, fortasse etiam in conceptione Salvatoris ejusmodi materiam sanctissimam foetus admiserint: ut ὡμοστοια Filii DEI secundum humanam naturam cum hominibus redimendis tanto facilius adstruatur. Ubi tamen cavendum forer, ne ovum tale admit-

DE ASSVMTione SEMINIS ABRAHÆ. *si*

admittatur, quod demum per contagium seminale masculinum in corpore muliebri formetur. Dum enim concursus viri, aut semenis virilis, aut virili respondentis, hic nullatenus admitti potest, caverendum est, ne quid ejusmodi in Christi Mære adfuisse statuamus, quod à virili semine, aut materia creata αναλογω, & ei immissa, dependeat.

¶ LXVI. *Thomas Aquinus P. III. Q. XXXI. Art. V.* materiam conceptionis Christi in Maria nec semen, nec sanguinem menstruum, sed purissimum sanguinem Virginis fuisse disputat: hoc ipso differentiam inter generationem aliorum hominum naturalem, & hanc Christi miraculosam declaraturus. Verum neque ad excludendam inordinatam concupiscentiam in virgine concipiente, neque ad immunitatem sobolis à peccato Originali, necesse est eo confugere: neque in Sacris literis sententia ista præsidium habet. Nostrates autem satis esse putant, si statuatur, illud, quod de substantia virginis tunc sumtum est, ab omni contagio peccati statim purificatum fuisse, cum assumendum esset; sic assumptionem ipsam, sine libidinoso sensu virginis, & sine periculo peccati, ad foetum, ipsamque θεανθρώπη personam, transferendi, factam fuisse.

¶ LXVII. Ea vero insulsa fabula est, quod pars aliqua nobilior massa Adami, in lapsu & post eum, integrâ à peccati contagio servata, inde in Sethum aliasque posteros eadem sanctitate propagata, denique in Mariæ corpus derivata fuerit; ita ut vel ipsius Mariæ corpus ex ea productum, & sic ipsa à peccato præservata fuerit; vel saltem ex ea, in Maria servata, corpus Christi originem duxerit.

G. 2

Memi-

Meminit ejus apud Thomam memoratae, eamque *Rabbinicam Fabulam* vocat, (forte Rabbinicis in alio genere similem indicate volens; nam Rabbini de illa nihil habent) D. *Calovius System. Theol. Tom. VII. Artic. II. Cap. II. Q. IV.* p. 126.

S. LXVIII. Nobis in hac quæstione de materia conceptionis Christi in virgine, & ex ea, quam velut in substantiam humanæ naturæ trahendam assumserit filius DEI, non minus, quam in his, quæ ad quæstiones cognatas de efformatione corporis ipsa, ac denique de partu attinent; merito placet modesta sententia B. *Chemnitii*, aliis quoque Nostratum laudata: *Quam verbis simplicibus & usitatis, extra conceptionem illam mirabiliter singularem & singulariter mirabilem, describantur omnia, non in natruitate tantum; sed etiam in conceptione, singenda hic non esse miracula; nempe ut custodiatur potius illud Apostolicum, quod nobis per omnia similis factus sit, nec pericitetur Causa fidei, quæ, admissa aliqua dissimilitudine facile in discrimen vocari posset.* Quando autem de his, quæ ad conceptionem naturalem pertinent, inter naturæ scrutatores non tam convenit, quam controvertitur, tanto magis in eorum applicatione ad mysterii præsentis explicationem danda est opera, ut, quæ ad doctrinæ fidei sincera conservationem & vindicias tenenda sunt, ab his, quæ curiosa potius, quam necessaria fuerint, distingvamus. Modus enim iste, quo *DEVS homo factus est*, ea evidenter non est revelatus, quæ curiositatibus humana omnem inquirendi ansam præscindat, nec ab Angelis ipsis à priore intelligitur, vi diei I. Petri I. v. 12. ait B. *Hulsemannus* l. c. §. 1. p. 202. Cui respondent illa B. *Chemnitii*, Harm. Evang. cap. IV.

p. m^o

DE ASSVMTione SEMINIS ABRAHÆ. §3

p. m. 56. ubi postquam observari debere docuerat, quid Spiritus S. in conceptione Christi operatus fuerit: *Hæc, addit, summa sunt miracula, qua fides nostra reverenter credit, mens autem comprehendere non potest, & propter hanc causam Angelus utitur verbis supervenienti & obumbrandi, quorum Emphasiæ & proprietatem non satis assequimur, ut ipsis vocabulis admoneamur à scrutatione mysterii incarnationis abstinentium esse.*

§. LXIX. Facit hæc admonitio, ut simili moderatione utendum credamus, in questione de assumpta à Christo anima humana. Naturam humanam anima & corpore constare, certum est. Itaque nec dubitamus, filium DEI in opere *ταῦτα γεννήσας* non tantum corpus, sed & animam humanam assumisse: & damnatus, cum Ari errorem, qui corpus Christi humanum animæ expers, Deitatem autem operam fuisse, qua anima solet, docuit res ferente Theodoro lib. IV. de hæret. fab. cap. I. tum illum Apollinaris, qui velut correcturus sententiam Arii, cui aliquandiu & ipse addictus fuerat, non omnem animam, sed tamen mentem humanam, Christo denegavit: teste Augustino Hærel. LV. & Sozom. Lib. II. Hist. Eccles. c. XXXVII.

§. LXX. Caterunt cum inter Physicos disquiratur, de animatione (*πνεύματος*) foetus, sive de anima adventu & unione, unde tanquam ex causa, cum ipsius anima in se spectata, tum conjunctionis ejus cum corpore? & quando fiat; ubi simul sese insinuant questiones de anima humana, unica ne sit? & vel simplex prorsus? vel ex pluribus potentius constituta? an gemina? aut tergeminæ? atque hæc vel solum in inicio generationis vel eniam perfecta generatione torquplex permanens? profecto facile est

agnoscere, (1) quidem, si maxime alias anima (sive una, sive multiplex) juxta quorundam sententiam, seminibus coeuntium parentum mixtis innascatur, velut ex nihilo ab illis producta; quod tamen, quoad præsens negotium, de anima Christi humana, idem dici non possit: cum concursus viri omnis absuerit: Itaque nec (2) hue applicari possunt sententia illæ, quibus statuitur, animam ex parentum animabus, sive decimam, sive emanantem, cum seminibus, atque in eis, traduci ad sobolem: nam & hæc utraque tantum valere posset in generatione naturali per congressum viri & fœminæ: unde etiam (3) excluditur illa opinio, qua anima in naturali generatione sobolis à Patre solo accersitur, velut à quo veniat illa vis, quam quidam λόγον vocant, unde semen secundum sit, & quo, tanquam Vicario, Pater generet. Nempe Mariae filius cunctus est secundum humanam naturam.

S. LXXI. Quæ etiam ab aliis docentur, partim de anima humanæ eductione ex potentia materie, id est, ejusdem massæ, ex qua Corpus ipsum producitur; partim de ejusdem origine è cælo, tanquam particule ejus aut atomorum, cuiusdam; aut de substantia Dei ipsius, sive per modum partis, sive uti radius est è sole; partim de animarum omnium, simultanea ante corporum existentiam, sub ipsum mundi initium facta, creatione, ac sero demum atque successivo singularum in corpora singula delapsa; partim denique de migratione animarum ex uno corpore ad aliud; cognita aliunde sententiarum falsitate, tanto minus hic admittenda, aut ad originem animæ humanæ Salvatoris accommodanda sunt.

S. LXXII. Quod si satis exploratum esset, quod quidam

DE ASSUMPTIONE SEMINIS ABRAHÆ.

dam asseruerunt, animam rationalem ex ordinatione atque operatione DEI miraculosa etiam in generatione naturali esse à matre, cui fœtus immediate sit conjunctus, aut sola, aut potissimum; non quidem ex ipsius corpore, neque etiam ex sanguine corporeo, sed ex anima, modo invisibili; aut saltem alias animarum emanatio aut propagatio ex anima generantium satis constaret; non dubitaremus asserere, Christi quoque animam ex anima Mariæ, concurrente DEO, originem traxisse. Quia vero etiam de his controvertitur, nec desunt, præter Philosophos, etiam Doctores Ecclesiæ veteres pariter & recentiores, qui singulorum hominum animas, in tempore, eo quidem, quo corpus in utero formatur, ex nihilo produci seu creari, statuunt; nobis vero alias in quæstione de origine animæ placuit Augustini, Lutheri, J. Wigandi, M. Chemnitii, A. Musculi, & D. Chytrai modestia, liberum esse, judicantium totam rem in medio relinquere, nec esse heresim putandum, vel in hanc, vel in illam sententiam deflectere: Ex quibus etiam Wigandus putavit, fortasse Deum singulari consilio eam questionem usque in alteram vitam distulisse, nibile que inde periculi esse animæ. p. 38. de Neutral. & Mediis: ideo etiam in præsenti negotio servabimus τὸ ἐπέχειν.

§. LXXIII. Sane etiam ipsam unionem naturæ humanae assumitæ à Filio Dei cum natura ejus divina hypostaticam quidem aut personalem dicendam esse credimus, simul tamen etiam agnoscimus, esse ποντεργπον υἱον ἔξαλγεσον, hoc est, singularem & eximiām, imo ab omnibus aliis unionem modis exemptam, sicut Justinus & Epiphanius loquuntur: Ita ut de ea facilius (sic ut Augustinus de Deo locui solet) dici & intelligi posse, qualis non sit, quam qualis sit.

Ita



36 DISS. AD LOC. EBR. II. 16. DE ASSUMT. SEM. ABRAH.

Ita enim & B. Chemnitius unionem, qua verbum Caro factum est, à reliquo modo presentia Dei, conjunctionis seu inhabitationis, non tantum comparatione secundum majus & minus, sed toto genere differre monuit; neque ita Deum esse in Christo incarnato, sicut Pater est in Filio, & Filius in Patre, ubi una est essentia, & duo personae: quamvis autem quædam de Mysterio illo, ad notitiam in hac vita sufficiantem, à Spiritu Sancto in Scripturis distinctius patefacta, ideoque discenda & cognoscenda esse agnoscat (qualia & nos hactenus exposuimus:) contenti tamen simus, addit, hac cognitione, quam scimus in hac vita nobis ad justitiam & vitam eternam sufficere. Utique curiositatem humani ingenii ab ulteriori inquisitione retrahamus, meminerimus, quod scriptum est: Scrutator Majestatis opprimetur à Gloria Lib. de Duab. Nat. in Christo. Cap. V. pag. 22, 23.

S. LXXIV. Felices nos, si, quorum naturam Filius Dei assumit, in has ex adverso cadat illud Job. I. 12, 13. Quotquot acceperunt eum (ελασσον), dedit eis potestatem ζετοιαν filios Dei fieri, his videlicet, qui credunt in nomen ejus: qui, quamvis juxta naturæ cursum, caro de carne nati, tamen quoad regenerationem illam spiritualem, non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo geniti, sic salvatori suo quodammodo similes facti sunt. Gratia Domini nostri Jesu Christi sit nobiscum! ILLI vero cum DEO PATRE & SPIR.

TV SANCTO gloria in æternum!
AMEN!

ad 17

99 A 6960

Pato





Farbkarte #13

a. 18
DISSE^RTAT^O THEOLOGICA
DE
ASSVMPTIONE
SEMINIS ABRAHÆ,

Ad Locum Ebr. II, vers. 16.

TEXTVS GERM.

Denn er nimt nirgend die Engel an sich,
sondern den Saamen Abrahā nimt er an sich.

Q V A M

DEO IVVANTE,

SVB PRÆSIDIO

DN. JOH. GVILIELMI BAIERI:

S. THEOL. D. ET P. P.

DN. PATRONI, PRAECEPTORIS ATQVE STV-
DIORVM SVORVM PROMOTORIS PIA VENERA-
TIONE ATQVE OBSERVANTIA
PRAECEPTORIS COLENDI

PUBLICAE DIS^QVISITIONI S^VBIICIT

NICOLAVS Haſe/

PERLEBERGA-MARCH

A. D. XXXVIII. DECEMBER. A. C. CICERO.

EDITIO II.

JENAE,
LITERIS IO. BERNH. HELLERI, 1723.